QUAESTIONES

GRAMMATICAE

ET

CRITICAE

DE

LOCIS ALIQUOT CICERONIS.

SCRIPSIT

CAROLUS GUILELMUS DIETRICH

PH. DR. AA. LL. MAG.





LIPSIAE

SUMTIBUS CAROLI FOCKE.

MDCCCXXXV.

VIRO EXCELLENTISSIMO

CAROLO AUGUSTO RUEDIGERO

PHIL. DR. AA. LL. M. GYMNASII FRIBERGENSIS RECTORI

PRAECEPTORI

SUMMA CUM PIETATE ET OBSERVANTIA

COLENDO

HUNC LIBELLUM

SACRUM ESSE VULT

EDITOR.



PRAEFATIO.

Etsi nostra aetate non pauci extiterunt, qui in explicandis investigandisque legibus grammaticis operam collocarent, atque non solum, quid usus loquendi requireret, exponerent, sed etiam, quae causa esset cujusque verborum vel sententiarum conformationis (quam *constructionem* s. *structuram* vocant), sedulo explorarent: tamen etiam nunc restant, quae aut non satis explicata esse videantur, aut certe non ita sint illustrata, ut singulis locis diligenter collectis atque inter se comparatis ratio totius rei qualis sit facile intelligi possit. Ita in iis, quae de temporum consecutione, quam dicunt, vulgo praecipiuntur, etsi plurima melius, quam olim id factum est, a viris doctis explanata esse videmus, is tamen locus, quem mihi tractandum sumpsi, nondum satis illustratus esse videbatur. Quum enim in Latinorum scriptis non pauci reperirentur loci, in quibus praesenti adjunctum esset imperfectum, atque id quaereretur, qua ratione haec tempora jungi possent: fuerunt, qui, quod maxime in hoc disputationis genere cavendum est, uno alterove loco reperto statim legem quandam conderent, cui reliqua accommodari vellent; unde factum est, ut,

etiamsi singula nonnunquam recte explicarentur, tamen saepe etiam, quae toto genere differunt, inter se commiscerentur. Itaque non inutile esse mihi videbatur, hanc rem singulari quadam scriptione ita tractare, ut ipsa locorum genera distinguerem atque digererem, et, quo quidque referendum esset, demonstrarem. Qua quidem in re fieri aliter non potuit, quin nonnulla commemorarem, quae quum satis essent trita, tamen ne quid praetermissum esse videretur, quod quidem ad rem pertineret, necessario commemoranda erant. Si cui in singulis non eo modo, quo par est, versatus esse videar, scito, me justam reprehensionem non aegre laturum esse; praesertim quum sciam, in ejusmodi rebus facile reperiri, qui dissentiant; et si alios nonnunquam reprehendi, nolim hoc ita a me factum existimari, ac si ea tantum, quae a me proposita sint, vera esse censeam.

Scripsi Fribergae
die XV. mens. Aprilis MDCCCXXXV.

DE
IMPERFECTO CONJUNCTIVI
PRAESENTI ADJUNCTO.

Quod in explicandis emendandisque veterum scriptis saepe factum esse videmus, ut viri docti de iis, quae a loquendi consuetudine abhorrere aut vulgaribus grammaticorum legibus repugnare viderentur, magnas moverent dubitationes: id potissimum in explicanda temporum consecutione, quam dicunt, factum esse intelligitur; atque haud scio, an nulla res majora grammaticis facessiverit negotia. Quum enim hanc summam esse legem, ut sane est, statuissent, ut verborum tempora inter se congruerent, atque praeteritis praeterita, praesentia praesentibus et futuris adjungerentur: huic legi quum alii multi loci, tum maxime repugnare videbantur ii, in quibus praesenti adjuncta sunt imperfecta conjunctivi. Quae res quum minus intelligeretur, quomodo se haberet, fecit, ut loci, in quos hoc caderet, vitiosi haberentur, adeoque corrigerentur; quod non solum veteribus accidit editoribus, veluti Lambino, Davisio aliisque, sed etiam, quod mireris, recentioribus, ut Ernestio (vid. ejus annot. ad Cic. *de finibus* III. cap. 6. ad Tacit. *Annal.* I. c. 29.), qui complures

ejusmodi locos corrigi voluit, alios tamen permultos, quae erat illius viri in his similibusque rebus inconstantia, intactos reliquit. Sed quod usu saepe venit, ut pluribus ejusdemmodi locis repertis cogamur quasi ea comprobare, quae antea suspecta habuimus, id hac quoque in re factum esse animadvertere licet. Nam Wopkensium, qui quamquam minus ingenio valuit, tamen singulari studio atque opera in usu loquendi investigando explorandoque versatus est, non fugit, nimis multos in Latinorum scriptis reperiri locos, qui a vulgàri ista regula abhorreant, quam ut ii vitiosi haberi possint. Sed quemadmodum alias saepe, ita hac quoque in re omnem reprehensionem effugere non potuit, quum neque rationem, qua diversa verborum tempora inter se jungerentur, attulisset, et quae genere suo disjuncta sunt, saepe confudisset. Postea eandem rem tractavit Matthiae in Miscellan. philol. Vol. II. P. I. p. 100 sq., et rationem quoque, qua haec tempora jungi possent, id quod Wopkensius praetermiserat, investigare studuit. Docuit igitur, tum imperfectum praesenti adjungi posse, si res memoretur non uno temporis momento facta, sed continuo temporum ordine fieri solita, quae ideo ad praeteritum aeque ac praesens tempus spectet. Sed haec ratio non immerito ab Handio in annotat. ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 47. n. 50. rejecta est, quum causa temporum ita junctorum in praesente potius, nec vero in imperfectis, quae

praesenti adjuncta sunt, quaerenda sit. Deinde Kruegerus in libro, qui inscribitur: Untersuchungen aus dem Gebiet der latein. Grammatik, fasc. II. p. 50 sqq. subtiliter, ut solet, de hac re disseruit, sed alienum erat ab ejus instituto, totam rem complecti. Tum Fr. Wagnerus in Seebodii libro: Archiv für Philologie u. Paedagogik, I. Jahrg. 4. Hft. p. 648. pauca quaedam eadem de re, compluribus tamen comprehensis generibus, disseruit; isque triplicem rationem, qua praesenti adjungi posset imperfectum, esse statuit; primam, si praesens praeteriti teneat locum, quod apud historicos scriptores omnium frequentissime fieri soleat; alteram si res memoretur, quae tantummodo ut cogitata efferatur, quamque eventum non habituram esse appareat, ubi in patrio sermone plerumque verba: *möchte*, *könnte*, adhibeantur; denique si quid *ἀοριστῶς*, vel ita enuntiatum sit, ut ad praeteritum quoque tempus id referendum esse declaretur. Primum et tertium quisque facile comprobet, alterum non item. Neque enim per se intelligitur, quid hoc loco sibi velint verba: *können*, *mögen*, quippe quae modis tantum verborum neque vero temporibus definiendis inserviant, iisque in praesentis aeque atque imperfecti conjunctivis interpretandis utamur: neque si naturam locorum ipsorum, quos attulit Wagnerus, consideramus, probari ullo modo potest. Ii enim in numero eorum enuntiatorum habendi sunt, quae conditionalia vocan-

tur, quibus, ut infra docebimus, nihil est similitudinis cum iis, de quibus hic dicendum est. Denique commemoranda est Handii sententia, qui in annotatione ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 47. not. 50. animadvertit, causam hujus rei quaerendam esse in ratione praesentis. Id enim, quum de sententia dudum prolata agatur, vim habere praeteriti, unde recte oratio per imperfectum pergere possit. Quod licet per se verissimum sit, tamen in eos tantum locos convenit, in quibus structura accusativi cum infinitivo locum habet; quamquam in ceteris quoque enuntiatorum generibus praesenti non aliter potest imperfectum subjungi, nisi ubi illud praeteriti vim habet. Postremo quae Goerenzius, Moserus aliique de hac re exposuerunt, suo quodque loco commemorabimus.

Jam si comprehendimus ea, quae a viris eruditis de hac temporum jungendorum ratione disputata sunt, sejunctis iis, quae aut falsa sunt aperte, aut certe minus probabilia, ipsorumque locorum, qui in quaestionem cadunt, natura atque ratione explorata, intelligitur, non posse praesenti adjungi imperfectum, nisi ubi praesens teneat praeteriti locum, aut certe in praesente simul insit vis praeteriti. Illud vero in eos maxime cadit locos, in quibus praesens spectat ad res praeteritas; unde, quoniam hic usus apud historicos potissimum reperitur scriptores, praesens illud nominatum est *historicum*. Atque non raro utrumque tem-

pus et praesens et imperfectum praesenti historico adjunctum esse videmus; quod quomodo fieri potuerit, quum facile sit intellectu (vid. Zumpt. Grammat. Lat. §. 501. Krueger, in Quaest. grammat. fasc. II. p. 53 sqq.), illud tamen quaeri potest, quo discrimine hoc fiat, et quid ad rem intersit, utrum hoc an illo struendi genere utamur. Atque non nihil ea inter se differre, et ipsa rei natura facile declarat, et senserunt hoc viri docti, veluti Jahnius ad Virg. Aen. VI, 754. Imperfecti enim tum videtur locus esse, si scriptor nihil aliud quaerit, nisi ut rerum praeteritarum memoriam explicet; praesentia autem praesenti adjunguntur, si, qui narrat, efficere vult, ut omnia quasi sub aspectum subjiciantur; quo fit, ut non audire narrantem, sed res ipsas oculis cernere nobis videamur. Cfr. Cornel. Nep. Milt. c. IV. §. 4. *creant decem praetores, qui exercitui praeessent.* Cic. pro Rosc. Amer. IX, 25. *Nam statim Chrysogonus et ipse ad eos accedit, et homines nobiles allegat iis, qui peterent, ne ad Sullam adirent, et omnia Chrysogonum, quae vellent, esse facturum pollicerentur.* Id. pro Flacco c. XXX. §. 74. *Defers ad Pergamenos, ut illi reciperent* etc. Act. II. in Verr. lib. I. c. XXVI. §. 66. *simul servis suis Rubrius, ut januam clauderent, et ipsi ad fores assisterent, imperat.* Paulo post tamen (§. 67.) praesens praesenti adjunctum esse videmus: *servos suos ad se vocat: his imperat, ut se ipsum negligant,*

filiam defendant. In Verr. act. II. l. IV. c. XXIII. in. *Catinam quum venisset, Dionysiarchum ad se vocari jubet: ei palam imperat, ut omne argentum, quod apud quemque esset Catinae, conquirendum curaret.* Caes. de bell. Gall. I, 3. *persuadet* (Orgetorix) *Castico —, ut regnum occuparet — — itemque Dumnorigi — ut idem conaretur, persuadet.* Ibid. III. c. 5. *celeriter milites certiores facit* (ut) *paullisper intermitterent proelium — ac tantummodo tela acciperent.* Vid. Moebius ad l. I. de bell. Gall. c. 34. — Liv. I, 27. *Equitem, clara increpans voce, ut hostes exaudirent, redire in proelium jubet.* Ibd. *Itaque, ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur, terga vertunt.* — Non dissimilis est ea ratio, qua apud graecos scriptores praesenti historico optativus adjungitur, quum, si in praesente nulla, nisi praesentis vis inest, conjunctivus sequi soleat. Vid. Matthiae Grammat. Gr. §. 518. 3.

Quemadmodum igitur his in locis, quum praesens pro praeterito sit positum, ei adjunctum est imperfectum, ita alias omnino, ubi vis praeteriti in eo latet, imperfecta sequuntur. Cfr. Cic. epp. ad Divv. XIII, 47. *Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? Sed tamen, ut scires, eum a me non diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo* — quo loco quamquam *scribo* nullam aliam nisi praesentis vim habere videtur, tamen scribentis menti quum simul il-

lud tempus inhaereret, quo is, ad quem scripta est epistola, eam accepturus erat, ita exorsus est orationem, ac si perfectum *scripsi* positurus fuisset. Vid. Handius in libro qui inscribitur: Lehrbuch des latein. Stils p. 217 sq. — Similis fere est ratio loci in epp. ad Att. VIII, 12, 1. *Hujus autem epistolae non solum ea causa est, ut ne quis dies a me intermittatur, quin dem ad te litteras: sed etiam haec justior, ut a te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis* etc., ubi quum legitimae temporum consecutioni plane conveniat praesens *intermittatur*, mirum videri possit, quod in proximis scriptor imperfecto (*impetrarent*) usus est. Sed in prioribus vis ac forma praesentis effecit, ut *intermittatur* scriberet; deinde autem ista consuetudine, qua in epistolis scribendis praeteritum spectare solebant, a legitima temporum jungendorum ratione abductus ita scribere perrexit, ac si praecederet: *scripsi haec ea de causa, ut* etc., haec enim aut similia certe scriptoris menti inhaesisse videntur. Cic. de Divin. II. c. 10. §. 25. *Homerus querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset* — quo loco vis praeteriti, quae in praesente *inducit* inest, effecit, ut enuntiatum inde aptum imperfectum adscisceret. Cavendum est enim, ne quis participio praesentis *querentem* imperfectum conjunctivi adjunctum esse existimet. Participia enim, quemadmodum infinitivi nullam aliam temporis notionem habent,

nisi quae inest in verbo finito, a quo pendet tota enuntiatio. Vid. Krueger. in Quaest. grammat. fasc. I. p. 23 sq. et p. 30. Etzler., in libro qui inscribitur: Spracherörterungen, VII. p. 81 sqq.

Jam vero ipsa rei natura facile ita tulit, ut tum maxime praesentia pro praeteritis ponerentur, quum aliorum referebantur sententiae; in quibus commemorandis quamquam scriptores usi erant praesentibus, veluti *dicit*, *dicunt*, *docet* et similibus, tamen vis praeteriti, quam in his praesentibus inesse apertum est, effecit, ut in enuntiatis, quae ex ejusmodi praesente apta essent, imperfecta ponerentur. Cfr. Cic. de nat. deor. I, 15, 40. *Idemque* (Chrysippus) *disputat, aethera esse eum, quem homines Jovem appellarent, quique aër per maria manaret, eum esse Neptunum, terramque eam esse, quae Ceres diceretur.* Ibid. c. 22. §. 61. *Epicurus vero tuus quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia?* — ubi Lambinus *dixit* pro *dicit*, Gulielmus autem *didicit* legi voluit. Ernestius cum Davisio ex codice Ursini *sit* pro *esset* scripsit. Defendit quidem hunc locum Wopkensius in Lectt. Tull. p. 175 sq. ed. Hand., sed non comparanda inter se comparavit, de quibus nonnulla infra suo quodque loco commemorabimus. Cic. fragm. orat. pro M. Aem. Scauro c. II. §. 3. *in quo* (libro Platonis) *Socrates illo ipso die, quo ei erat moriundum, permulta disputat, hanc esse mortem, quam*

nos vitam putaremus, quum corpore animus tanquam carcere saeptus teneretur, vitam autem esse eam, quum idem animus vinclis corporis liberatus in eum se locum, unde esset ortus, retulisset. Id. de officiis I. c. 25. §. 87. *Miserrima est omnino ambitio honorumque contentio: de qua praeclare apud eundem est Platonem: similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rem publicam administraret; ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret* — ubi quum Gernhardus et Beierus nonnullis ex libris: *contendunt* — — *administret*, dedissent, vulgata lectio, quae optimis et antiquissimis libris confirmatur, merito ab Orellio reducta est. Praesens autem *est*, in quo latet vis praeteriti, idem fere valet, quod *scriptum est.* Vid. Ramshorn. Grammat. Lat. p. 793. — Similiter explicandus esse mihi videtur alius quidam locus, qui viris doctis magnae fuit offensioni. Reperitur is in l. I. de nat. deor.. c. 5. §. 12. *Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adjuncta esse dicamus. Ex quo exsistit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur.* Breviter adstringere licet ea, quae Heindorfius de hoc loco disputavit, quippe quae jam a Fr. A. Wolfio in Analect. literar. T. II. accurate sint refutata, qui et *visum* masculino genere recte dici posse

demonstravit (vid. Zumpt. ad Cic. in Verr. act. II. l. II. c. 78. §. 91.), et verbum finitum *regeretur*, quod Heindorfius in infinitivum mutari voluerat, defendit simillimo loco, qui est in l. I. de orat. c. 28. in. *Illud vero, quod a te dictum est, esse permulta, quae orator nisi a natura haberet, non multum a magistro adjuvaretur: valde tibi assentior.* Quo utroque loco id potest animadverti, vim pronominis relativi pertinere non solum ad id membrum, cui praepositum est pronomen relativum, sed etiam ad alterum membrum, cujus constructio quoniam diversa est a constructione prioris membri, alium requirebat pronominis relativi casum. Potuit enim ita scribere Tullius: *multa esse probabilia, quibus, quamquam ea non perciperentur, tamen vita sapientis regeretur.* Sed quae languidiora fuissent, evitavit, et quamquam subjecti mutatio erat facta, tamen vim pronominis relativi animo ita retinuit, ut quae addenda essent, ei accommodaret. Vide, quae de hac re disputaverunt Krueger in libro de *attractione* (quaest. grammat. fasc. III.) p. 239 sqq. Madvig, Epist. crit. ad Orellium p. 106. Klotzius in Quaest. Tull. l. I. p. 16 sq. et p. 68 sq., atque conferri etiam possunt, quae attulit Wopkensius in Lectt. Tull. l. II. c. XV. p. 296 sqq. ed. Hand. Sed ut ad rem redeam, idem Wolfius temporum quoque rationem defendit locis, quos supra jam commemoravimus (Cic. de nat. deor. I. c. 15. §. 39. et §. 40.); qui sane

non ejusdem plane sunt generis, eaque de re magnas dubitationes movit Beierus (in introduct. ad l. II. de off. p. 5.), cujus adnotationem miror, quod praetermisit Orellius, qui alias vel levissimas Beieri conjecturas commemorare solet. Erat autem haec Beieri sententia (repetita postea ab Handio in annotatione ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 47.), non posse imperfectum praesenti adjungi, nisi ubi sententia antea proposita per orationem obliquam repetatur, cujus proprium sit imperfectum conjunctivi (vid. ejusdem Beieri annotat. ad Cic. de off. II. c. 3. §. 9.); hoc vero non cadere hunc in locum, ubi Tullius sui judicii rationem expediturus argumentetur: id quod testentur verba: *ex quo exsistit illud.* Itaque codicum quorundam vestigiis ita haec corrigi voluit Beierus: *quae quamquam non percipiantur* (e MS. Rhedig.): *tamen quia visum habent* (e cod. Oxf. e.) *quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regetur.* Sed primum non credibile est, librarios praesentia mutasse in imperfecta, contra facilius fieri potuit, ut imperfecta, quae tamen in omnibus fere libris mss. reperiuntur, ab iis vel consulto, vel errore quodam, obliteratis scribendi compendiis, in praesentia mutarentur. Deinde si rationem ejus scripturae, quam Beierus recipi voluit, quaerimus, intelligitur, totam rem ab eo angustioribus finibus, quam par erat, circumscriptam esse, quum non solum si sententia antea proposita per orationem obliquam repe-

titur, praesenti imperfecta adjungi possint, sed etiam aliis quibusdam modis id fieri posse certum sit. Denique si sententiam ipsam, id quod maxime rem continet, consideramus, eam e media esse philosophia Academicorum desumtam ideoque ab aliis jam propositam intelligimus. Cfr. Cic. Acad. II. c. 31. cl. c. 34. §. 111. Itaque, quum communis esset haec sententia philosophis novae academiae, eam Tullius non potuit ita proponere, ut ipse eam invenisse videretur, sed id tantum significare voluit, se cam sequi. Atque aliorum esse hoc decretum, nec vero inventum Ciceronis, significatur etiam quodam modo pronomine *illud*. Itaque haud scio, an ita interpretandus sit hic locus: *ex quo exsistit illud, quod dixerunt*, vel *quod defendere solent Academici, multa esse probabilia* etc. Ejusmodi enim sententiam si in pronomine latere existimamus, non erit, quod in imperfectis, quae sequuntur, haereamus. Ubicunque enim aliorum commemorantur sententiae, antea jam propositae, easque scriptor, quamvis ipse probet, tamen ut a se inventas significare non vult, utitur imperfecto conjunctivi. Vid. Krueger. l. c. p. 68 sqq. atque A. Grotefend. in Grammat. Lat. ampliore T. II. §. 572. p. 480 sq. Itaque vel Beiero atque Handio satisfecisse videmur, qui requirunt, ut sententia, ad quam imperfecta referuntur, antea jam sit proposita. Hoc autem fieri posse, ut, si quis suam sententiam expositurus simul meminerit, hanc eandem

fuisse aliorum, temporum ratione subito mutata ita pergat, ac si aliorum sententiam referre coeperit, intelligi potest ex loco quodam in Cic. Cat. M. c. 21. §. 78., quem, quoniam insignis est ad hanc rem illustrandam, integrum hic describam. Sunt autem verba ibi haec: *Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio: quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes tantae scientiae, tot inventa; non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem; quumque semper agitetur animus nec principium motus habeat, quia se ipse moveat: ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus: et, quum simplex animi natura esset neque haberet in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod jam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Haec Platonis fere.* Quo quidem loco etsi scriptor verbis: *sic mihi persuasi, sic sentio* satis indicaverat, se suam sententiam expositurum esse, tamen media in oratione quum meminisset, haec eadem esse Platonis, subito mutat verbi tempus, atque ipso sententiae auctore non nominato, ita tamen pergit, ac si ejus antea jam mentionem fecisset; quod tamen in fine demum

loci factum esse videmus. — Multo minus autem ejusmodi locis offendi poterimus, ubi omissum est aliquod verbum praeteriti, cui accommodata sunt tempora inde apta. Cfr. Cic. Acad. I. c. 6. §. 22. *Communis haec ratio et utrisque* (Academicis et Peripateticis) *hic bonorum finis, adipisci, quae essent prima natura* etc., ubi quum aliorum referuntur sententiae, omissum est verbum, e quo pendeat imperfectum conjunctivi. Nam quod vulgo addunt v. *videbatur*, haud scio an, ut jam Goerenzio visum est, debeatur librariis; quamquam nihil impedit, quo minus ejusmodi quid subaudiamus. Cfr. Cic. Tusc. disputatt. III. c. 20. §. 47. *At idem* (Epicurus) *ait, non crescere voluptatem dolore detracto; summamque voluptatem, nihil dolere. Paucis verbis tria magna peccata: unum quod secum ipse pugnat. modo enim, ne suspicari quidem se quidquam bonum, nisi sensus quasi titillarentur voluptate: nunc autem, summam voluptatem esse, dolore carere* — ubi Bentlejus maluit *titillentur* scribi; sed bene docuit Kuchnerus, imperfectum pendere ex omisso verbo: *dicebat.* — Sed quum hic quoque tempora enuntiati secundarii nonnunquam permutata esse videamus, ut modo praesens modo imperfectum praesenti adjuncta sint, cavendum est ne ita haec struendi genera differre existimemus, quemadmodum ea differre censuit Wagnerus in Commentatione de Conjunctivi Modi apud Latinos natura usuque p. 28., cujus sententiam non modo paul-

lulum emendandam aut amplificandam, quod fecit Kruegerus l. c. p. 61 sq., sed prorsus rejiciendam esse arbitror. Ille enim quum dicit, imperfecti tum esse locum, si quis aliorum sententiam ita referat, ut ea tota ex ejus mente etiamnunc pendeat; praesentis autem, si quis alius sententiam, tanquam tritam et usu confirmatam, ut quam ipse jam fecerit suam, proponat: haec igitur quum dicit, affert aliquid, quod ex parte tantum verum est et nonnullos quidem in locos convenit, aliis multis accommodari nullo modo potest. Veluti quum Vellejus Epicureus, quem Cicero in l. I. de nat. deorum contra Stoicos disputantem inducit, c. 15. §. 39. Chrysippi sententiam ita refert, ut praesenti primo praesentia, deinde imperfecta adjungat, hoc modo: *tum ipsum mundum deum dicit esse et ejus animi fusionem universam; tum ejus ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam — —; tum ea, quae natura fluerent atque manarent — — atque etiam homines eos, qui inmortalitatem essent consecuti* — num putemus, Vellejum priora, quae praesente enuntiata sunt, magis probasse, quam posteriora, in quibus imperfecta posita sunt? Aut quum imperfectis manifesto declaretur, referri alius sententiam, hoc idem fieri non credamus, quum praesentia adjunguntur? Jam ut hic, ita alii multi reperiuntur loci, in quibus quamquam praesentia posita sunt, tamen idcirco dicere non licet, iis aliquid

contineri, quod sit tritum aut scriptori ipsi probatum; itemque per imperfecta saepe enuntiantur, quae non sunt unius hominis aut unius temporis, sed quorum ea est natura, ut aut nemo de iis dubitet aut certe scriptorem de iis dubitavisse nullo modo credi possit; et quum saepe in una eademque enuntiatione verbi tempora permutata sint, nihil mirabilius fieri posset, quam si quis eo modo, quo voluit Wagnerus, ea distinguere conaretur. Conf. Cat. M. c. 21. §. 78., de quo loco supra dictum est. Itaque verissima esse censeo, quae docuit Kruegerus *), imperfectum, sive praeteritum sive praesens (in quo tamen praeteriti vis insit necesse est) antecedat, tum poni, si, quae enuntiato secundario contineantur, ad idem referantur tempus, quo spectet verbum enuntiati primarii; praesens autem si ponatur, omnem quasi illam conjunctionem atque neces-

---

*) Kruegerus, quem supra dixi probasse Wagneri rationem, ipse secum pugnare videtur. Nam si vera sunt, quae hoc loco posui, Wagneri sententiam tolli necesse est. Neque hoc Kruegerus non vidit. Quum enim p. 60. manifesto declarasset, se Wagnero assentiri, tamen p. 61. addit, eorum naturam, quae praesente enuntientur, non semper ita comparatam esse, ut ea etiamnunc valere atque vim habere existimandum sit; p. 72. concedit, tempora praesentia nonnunquam eam tantum ob causam poni, quoniam scriptor de rebus praeteritis veluti de praesentibus loqui coeperit; denique adjungit, innumerabilibus locis illud discrimen a scriptoribus non observatum esse. Sed regula, cui qui repugnant loci, innumerabiles sunt, regula esse non potest.

situdinem (quam *relationem* vocant), quae inter enuntiatum primarium et secundarium intercedat, tolli, et significari tantum aliquid, quod omnino cogitari possit, nec vero ad certum aliquod tempus necessario sit referendum. Inde tamen non sequitur, conjunctionem primariae sententiae cum secundaria ita tolli, ut, quae praesente enuntiata sunt, ea ad certum quendam hominem certumve tempus referri non possint. Intelligitur enim, ea quoque, quae praeterita sint, aut certe ad praeteritum tempus spectent, ita posse proponi, veluti quae nunc cogitentur aut ab ipso sententiae auctore explicentur. Cfr. Cic. Acad. I. c. 12. §. 45. *Arcesilas negabat, esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset: sic omnia latere in occulto. Neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi possit* *), — quo loco quum primum imperfectum *(posset)* positum esse videamus, ut intelligatur, hanc fuisse Arcesilae sententiam, tamen, si in proximis praesens conjunctivi ponitur, haec non minus, quam illa superiora ad Arcesilam pertinere, nec vero ejus esse, qui haec exponat, ipsa loci natura atque ratio facile declarat. Itemque in lib. IV. de finib.

*) Orellius quidem de Ernestii conjectura, codicis cujusdam fragmento confirmata, scripsit: *posset;* sed in ejusmodi locis cur quidquam mutemus, justa causa nulla esse videtur, nisi quae a codicum auctoritate proficiscatur. Vid. Klotz. annot. ad Cic. Lael. c. 13. §. 46.

c. 21. §. 58., ubi Stoicorum referuntur sententiae, quum praesenti *dicunt* in enuntiatis inde aptis primum praesentia sint adjuncta, tamen §. 59. sequuntur imperfecta, et haec rursus a praesentibus excipiuntur: quod ita fieri videmus, ut priora non minus, quam quae imperfecto enuntiata sunt, ad Stoicos referenda esse intelligatur. Itaque neque de eo discrimine, quod Wagnerus finxit, partimque probavit Kruegerus, neque de eo, quod Kruegerus ipse addit, praesentibus plerumque ea contineri, quae ad omnes homines et omnia tempora spectent, cogitandum esse censeo. Nam etiamsi hoc fieri potest, uti illi volunt, et nonnunquam necesse est id fieri, si quidem absurda esset ejus oratio, qui quae praesentia sunt, aut nunc primum in cogitationem incurrunt, vellet per imperfecta enuntiare *), tamen alterum inde cogi non potest, ut quae praesente enuntientur, ea communia quasi omnium temporum et hominum habeantur nec possint eadem ad praeteritum quoque tempus referri. Concedendum tamen est, diversam esse utriusque rei rationem. Nam potest aliquid ita ad praeteritum referri, ut hoc ipsa verbi forma

---

*) Conferri possunt, quae simili quadam in re disseruit Hermannus ad Viger. p. 931. ed. III. „in omni tempore praesentis constructionem adhiberi licet, quoniam etiam praeterita saepissime ut praesentia narrari solent. Non autem contrarium fieri potest, ut in re praesenti constructio praeteritorum propria admittatur.“

indicetur; quod ubi fit, imperfecta ponenda sunt; aut non indicetur verbi forma, tumque ponuntur praesentia. Si igitur ad rem ipsam, utrum praesentia an imperfecta praesenti adjungantur, nihil interesse intelligitur, quaeri tamen potest, qui factum sit, ut tempora enuntiati secundarii hoc modo a scriptoribus mutarentur. Cujus rei causa non alte videtur repetenda esse. Quum enim duplicem vim praesentis in ejusmodi locis esse apertum sit, atque ipsa forma verbi requirat, ut praesentia praesenti adjungantur, tamen quum praeteritum tempus, cujus vis in praesente latebat, scriptorum menti simul obversaretur, facile fieri potuit, ut fluctuantes inter utrumque tempus, modo hoc modo illud praesenti adjungerent. Nam quod Goerenzius ad Acad. l. I. c. 12. p. 70. dicit, ideo nonnunquam haec tempora mutata esse, quia ex nimis crebro imperfecti usu lectori taedium subrepere posse scriptores reformidarint, vix cuiquam probabitur. Eo minus autem mirandum est, praesenti, in quo latet vis praeteriti, nonnunquam imperfecta esse adjuncta, quum alias quoque latinos scriptores ea, quae *absolute* (ut ita dicam) poni potuissent, ad praeteritum tempus, si id primario enuntiato continebatur, referre eique accommodare solitos esse constet.

Quemadmodum autem his locis, quos tractavimus, vis praeteriti, quam in praesente inesse diximus, effecit, ut ei imperfecta adjungerentur, ita factum est,

ut praesentia etiam cum plusquamperfectis jungerentur, eadem lege atque conditione, qua perfecta et plusquamperfecta inter se juncta videmus. Quod quomodo fiat, quum inter omnes constet, satis habeo nonnullos, qui huc referendi sunt, afferre locos. Et sunt quidem in hoc genere nonnulli eorum, de quibus disseruit Wopkensius in Lectt. Tull. p. 269. ed. Hand., veluti Cic. de fato c. 20. *Ita quum attulisset nullam causam, quae istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur, quum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant* — quibus in verbis tantum abest, ut temporum enallage sit statuenda, quod visum est Wopkensio, qui *attulisset* pro *attulerit* positum esse existimavit, ut legitimae temporum consecutioni hoc plane conveniat, si memineris, in praesente *videtur* latere praeteritum, e quo pendeat secundarii enuntiati tempus. Eademque ratio est duorum aliorum locorum, quos attulit Wopkensius, Cic. Acad. II. c. 32. §. 104. *Quae quum exposuisset, adjungit* etc. Id. de finibus bon. et mal. IV. c. 6. §. 14. *Quum enim superiores — — secundum naturam vivere, summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari Stoici dicunt* etc. Adde Cic. de divinat. I. c. 44. §. 99. *Quod quidem somnium Sisenna quum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse — tum disputat* etc. Tuscul. disputatt. III. c. 26. §. 63. *Aeschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiae mortem hostias*

immolavisset. Quibus locis omnibus quum praesens praeteriti vim haberet, id quod cogitatione ante tempus perfectum poni potuit, necessario plusquamperfectum adscivit.

Sed ut ad rem redeam, ab eo locorum genere, in quibus praesenti, quoniam vis praeteriti in eo latet, imperfecta adjuncta sunt, sejungendum esse videtùr aliud locorum genus, in quo haud scio an praesenti tribuenda sit vis *aoristi.* Quum enim id significandum erat, quod non uno aliquo temporis puncto factum esset, sed aeque ad praeteritum atque ad praesens spectaret, ut omnino id fieri solere indicaretur: praesenti, in quo haec vis inesset, praesens non minus, quam imperfectum adjungi potuit. Tetigit hanc rem Wagnerus in Seebodii libro: Archiv f. Philolog. u. Paedag. I. Jahrg. 4. Hft. p. 648. Cfr. Cic. de legg. III. c. 12. §. 27. *Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et judicia dantur: judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur: auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae* — quo loco quum praesens *dantur* idem valeat, quod *data sunt, darique solent,* non solum potuerunt imperfecta adjungi, sed etiam necesse erat hoc loco id fieri, quoniam non tum primum magistratibus *judicia, auspicia* data sunt, sed antea jam data erant *). Cic. de legg. III. c. 6. ex.

---

*) Ejusmodi praesentibus, quae vim aoristi habent, atque id significant, quod omnino fieri solet, non raro viros

Nam et mediocriter doctos magnos in re publica viros, et doctissimos homines non nimis in re publica versatos multos commemorare possumus. Qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civi-

---

doctos offensos esse videmus. Veluti in Cic. l. I. de nat. deor. c. 30. §. 83. *Et quidem Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes* — quae verba rejectis qnorundam conjecturis recte ita explicuit Orellius: *Athenas visentes omnes solemus laudare V. c.* — Ibd. III. c. 5. in. *At enim praesentes videmus deos, ut apud Regillum Posthumius, in Salaria Vatinius* etc., ubi Heindorf., Schuetz., Moserus atque Orellius sine causa idonea et contra omnium fere codicum auctoritatem *vidimus* scripserunt. Neque magis probaverim, quod iidem viri ibd. c. 23. §. 59. *Venus prima Coelo et Die nata, cujus Elide delubrum videmus* — nonnullorum librorum scripturam: *vidimus* receperunt; antiquae enim editiones fere omnes, quarum in his libris non parva videtur esse auctoritas, itemque codices satis multi vulgatam tuentur. Cfr. Cic. de legg. II, c. 26. §. 64. *Sed post aliquanto propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, ne* etc., ubi Ernestius, quamquam librorum in hac scriptura nulla est discrepantia, tamen *vidimus* legi voluit. Sed vid. ibi Goerenz. Similis quaedam est ratio praesentis *audimus*, quod non raro in perfectum mutatum est; de qua re vid. Orell. et Henrichsen. ad Cic. de orat. l. II. c. 22. §. 93. Quum vero idem Orellius ad Cic. Brut. c. 84. §. 291. scrupulum sibi remanere dicit, num, ut *audimus* pro *audivimus*, ita *audio* pro *audivi* reperiatur, non dubitandum est, quin hoc quoque dici possit. Cfr. Cic. Lael. c. 13. §. 45. *Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam.* Est tamen inter utrumque dicendi genus non nihil discriminis, quod facile intelliget, qui ejusmodi comparaverit locos, in quibus perf. *audivi* reperitur, veluti Lael. c. 23. §. 88. Brut. c. 13. §. 50.

tate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest? — ubi item ultima verba ἀορίστως accipienda esse existimo, ut vis eorum haec sit: *quis praeter hunc inventus est, aut inveniri potest?* Atque haud scio an in eodem genere habendi sint alii quidam loci, qui quamquam eodem modo, quo superiores, explicari possunt, tamen verius huc referendi esse videntur, veluti Cic. de finibus II. c. 11. §. 34. *quod* (honeste vivere) *ita interpretantur* (Stoici), *vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, rejicientemque contraria* — quo loco quum Ernestius legi voluisset: *eveniant*, Ramshornius in Grammat. Latin. p. 793. docuit, in praesente *interpretantur* latere perfectum; quae ratio licet per se non sit improbanda, tamen nescio an magis sit consentaneum praesenti *interpretantur* subjicere vim aoristi, ita ut sententia haec sit: *quod ita solent interpretari Stoici* i. e. interpretati sunt atque etiamnunc ita interpretantur. Eodemque pertinere mihi videntur hi loci: Cic. de finibus IV. c. 6. §. 14. et 15. *Quum enim superiores — — secundum naturam vivere, summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari Stoici dicunt* (i. e. dicere solent)*: unum ejusmodi, vivere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura evenirent: — — alterum significari idem, ut si diceretur, officia omnia media, aut pleraque servantem vivere* — ubi Ernestius *eveniant* — —

dicatur legi voluit. Ibd. III. c. 21. §. 71. *gravissimeque et verissime defenditur* (i. e. defendi solet), *nunquam aequitatem ab utilitate posse sejungi: et quidquid aequum justumque esset, id etiam honestum: vicissimque, quidquid esset honestum, id justum etiam atque aequum fore* — quo quidem loco, qui proxime accedit ad similitudinem superiorum (lib. de fin. II, 11. §. 34. et IV, 6. §. 14.), non video, quas difficultates Handius invenisse sibi visus est. Is enim in annotatione ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 176. haec habet: „In libro de *fin.* l. c. non tam facilis videtur esse interpretatio, atque [*quam*] Goerenzius existimavit. Nam neque agitur de praeceptis quondam propositis, et coeunt haec verba cum antecedentibus in unam formam ita, ut non possit non permira videri temporis transmutatio, cui causa desit. ' Et in fine positum est *fore* non *esse:* quod quid significaret, nemo declaravit. " Ac primum quidem quum Handius censuit, non posse praesenti imperfectum subjungi, nisi ageretur de praeceptis dudum propositis, item ut Beierus angustioribus finibus rem circumscripsit. Sed ut hoc ita sit, quemadmodum voluit, de quo tandem hic agitur, nisi de praeceptis Stoicorum dudum ab ipsis disciplinae auctoribus propositis? Itaque si rem ipsam spectamus, nihil apparere video, quo hi loci inter se differant; quumque in praesentibus *interpretantur* — *dicunt*, item ut in v. *defenditur* praeteriti simul vis insit, ne causa

quidem deest, cur hoc loco tempora mutata sint. Alterum autem, quod affert Handius, *fore* pro *esse* positum non habere, quomodo explicetur, non magis, quam illud difficultatem praebere videtur. Est enim verbum *fore* ita hic positum, ut saepe Tullium futuris in conclusionibus omninoque in praeceptis dandis usum esse videmus, vid. Beier. ad Cic. de off. T. II. p. 4. Kuehner. ad Cic. Tusc. disputatt. III, 7. §. 15. Neque tamen dixerim, *fore* idem prorsus esse, quod *futurum esse*; illud enim rem cogitatam significat (unde verterim: mit Recht wird behauptet, was sittlich gut sey, das werde auch gerecht und billig seyn); hoc, quod revera aliquando fiet (das werde einst — seyn). — Jam vero cur putem, his similibusque locis praesens non simplicem perfecti vim habere, ea est causa, quod Tullius, quum haec scripsit, non tantum ad veteres, qui antea de his rebus disseruerant, ipsosque disciplinae auctores, sed etiam ad eos, qui ipsius aetate floruerunt, eademque, quae veteres defenderunt, respexisse videtur. Unde factum est, ut in commemorandis eorum sententiis plerumque uteretur praesentibus: *dicunt*, *docent* similibus, orationi autem inde aptae imperfecta subjungeret. — Eadem fere praesentis ratio esse videtur in Cic. Acad. II. c. 18. §. 56. *An non videmus, hoc usu venire, ut, quos nunquam putassemus a nobis internosci posse, eos, consuetudine adhibita, tam facile internosceremus, uti ne minimum*

quidem similes viderentur — ubi quum Davisius propter imperfectum *internosceremus* legi voluisset: *usu venisse*, recte quidem Wopkensius hanc conjecturam rejecit, sed veram temporis mutati rationem non invenit. Vid. Handii annotat. ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 270. Est autem ea vis formulae: *usu venire*, ut non possit non etiam ad praeterita transferri, ideoque commode ita explicari: *factum est, et fieri solet.*

Haec igitur sunt, in quibus quum praesens teneat praeteriti locum aut vim aoristi habeat, imperfecta praesenti adjuncta esse recte dici possint. Sed restant nonnulli loci, qui quamquam non raro cum his, quos tractavimus, a viris doctis comparati sunt, adeoque in eodem numero habiti, tamen toto genere differant, quum non ea in iis animadvertatur praesentis natura, ut praeteritum in eo latere dici possit, neque ita praesentia et imperfecta inter se sint juncta, ut alterum ex altero pendeat. Ac primum quidem huc referendi esse videntur ii loci, in quibus imperfecta vim *potentialem* habent. Cfr. Cic. Act. in Verr. II. lib. IV. c. 6. §. 11. *Quid? si magnitudine pecuniae persuasum est ei? Verisimile non est, ut ille homo tam locuples, tam honestus, religioni suae monumentisque majorum pecuniam anteponeret.* Id. pro Sulla c. 20. §. 57. *Verisimile non est, ut, quem in secundis rebus, quem in otio secum semper habuisset, hunc in adversis, et in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret.*

Et illo quidem loco Wunderus, itemque Zumptius, in imperfecto vim conditionalem inesse voluerunt, atque aliquod enuntiatum conditionale omissum esse censuerunt, ita ut haec esset loci sententia: *es ist nicht denkbar, wie er Geld vorziehen würde,* scil. *wenn ihm Jemand welches gäbe.* Quod etiamsi factum est nonnunquam, ut ejusmodi enuntiata omitterentur, (atque in latino sermone item, ut in nostro hoc fieri posse constat), tamen modum conditionalem praesentis temporis ab hoc loco alienum esse facile intelligitur; si quidem, quum rerum praeteritarum hic mentio fiat, hanc potius interpretationem loci sententia requirit: *es ist nicht wahrscheinlich, dass er Geld würde vorgezogen haben.* Itaque non immerito hanc rationem rejecit *Etzlerus* in Jahnii Annal. philol. et paedagog. 1828. Vol. I. P. I. p. 108 sq., qui docuit, in his imperfectis modum potentialem temporis praeteriti latere, cujus haec sit vis: *ille anteponeret:* er hätte vorgezogen, hätte können vorziehen? — hunc ille dimitteret: diesen hätte er wegschicken sollen? sich dazu entschliessen können? — Idem tamen Etzlerus aliam proposuit rationem, quam veriorem etiam superiore esse existimavit, dicens, subaudiendum esse aliquid in his locis, veluti: *factum esse, accidisse* vel *fieri potuisse, ut* — — anteponeret; ita ut prior locus ita esset accipiendus: *Verisimile non est, eum adductum esse, ut* — — *anteponeret;* et alter: *Verisimile non est, Cin-*

cium in animum induxisse, ut etc. Sed fateor, mihi superiorem illam rationem probabiliorem videri; nam ut ejusmodi enuntiata nonnunquam omissa sint, quibus structura orationis inde aptae accommodata est *), tamen haud scio an in hac formula *verisimile est, ut,* qua duo enuntiata arcte inter se conjuncta sunt, tale quid fieri non potuerit. Atque ut in aliis enuntiatis permultis, quae conditionalia tum habentur, tum nominantur, imperfectum conjunctivi nullam conditionis vim habet, sed potius, ut verissime docuit Etzlerus, potentialem, ita his locis non video, cur non eadem ratio valeat, quam, nisi fallor, ipsa horum locorum natura suadet. Cfr. Cic. pro Rosc. Amer. c. 33. in. *Video igitur, causas esse permultas, quae istum impellerent,* i. e. Gründe, die jenen antreiben mussten, antreiben konnten. Lib. I. de orat. c. 44. §. 198. *Ac si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat; cujus rei tanta est vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse debemus in*

*) Cfr. Cic. de nat. deor. I. c. 15. §. 38. *At Persaeus, ejusdem Zenonis auditor, eos dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas; ut ne hoc quidem diceret, illa inventa esse deorum, sed ipsa divina;* ubi ante verba: *ut diceret: ita factum est,* quod voluit Wyttenbachius, aut simile quid subaudiendum est. —

eam patriam etc., ubi imperfecti haec est vis: dass er jenes Ithaca —— der Unsterblichkeit vorziehen konnte. Copiosius de hac re disseruit Etzlerus in disquisitionibus grammat. p. 119 sqq.

Jam venio ad aliud locorum genus, in quo, quum imperfecta, quae praesentibus adjuncta sunt, vim conditionalem habeant, non magis, quam in illis, de quibus modo dictum est, e praesente pendere dici possunt. Vide eundem Etzlerum bene de hac re disputantem in Jahnii Annal. philol. et paedagog. 1828. Vol. III. P. 1. p. 108 sq., ubi hi afferuntur loci: Cic. de legg. III. c. 17. §. 38. *Quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tolleret, quae postea latae sunt,* i. e. es würde alle später gegebenen Gesetze unnöthig machen. Quo loco animadvertere licet, omissam esse protasin, i. e. si haec lex promulgaretur, acciperetur *). A vero aberravit Goerenzius, quum di-

*) Ejusmodi locis, in quibus sententia aliqua omissa est, etiam alias saepe offensi sunt viri docti, veluti in Cic. Tuscul. disputatt. II. c. 27. §. 39., ubi in verbis: *si quidem homo esset,* Ernestius, Schuetzius, Wolf., atque Orellius contra librorum manuscriptorum auctoritatem: *si quidem homo est* scripserunt, non animadvertentes, omissam esse sententiam, veluti: *recte crederem.* Vide ibi Kuehneri annotationem jure codicum lectionem defendentis. Itemque in l. II. de nat. deor. c. 57. §. 144. *flexuosum iter habet* (auditus), *ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret,* — ubi Davisius *posset* conjecit, scilicet ut hoc conveniret imperfecto, quod sequitur: *pateret.* Moserus autem

xit, Ciceronem saepe uti hac enallage temporum ad verba, quae vel dictum vel sententiam significent. Neque comparanda erant ea, quae Wopkensius in Lectt. Tull. p. 126. et 134. attulit, qui, quae nihil habent similitudinis, inter se confudit. Quum vero Handius in libro, qui inscribitur: Lehrbuch des latein. Stils p. 219. hanc temporum jungendorum rationem ab iis tantum probari posse dicit, qui similia pro iisdem habeant, id concederem, si ea ratio, quam Goerenzius attulit, una esset, qua hic locus explicari posset. Verum illa, quam attuli, tam plana esse videtur, ut nullo modo mihi persuaderi possim, quidquam in hoc loco inesse, quod in vitio sit habendum. Cic. or. pro Plancio c. 32. §. 78. *Atqui, haec quum vides, quo me tandem in te animo putas esse, Laterensis? ullum esse tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem, quam ego non modo pro salute tua, sed etiam pro dignitate defugerem?* i. e. keine Anstrengung, deren ich mich weigern würde. Or. pro Sulla c. 20. §. 58. *non is homo est, ut — — bellum contra patriam suscipiendum putaret,* i. e. dass er Lust gehabt hätte, gegen

---

posset tutans ex duobus codicibus adjecit *uti* particulam ante *si.* Heindorfius denique, quem Nobbius secutus est, post verba: *ne quid intrare possit,* de conjectura adjecit: *quod posset.* Sed recte se habet vulgata scriptura, et facile hoc ipsum, quod isti Ciceronis verbis interseri voluerunt, subaudiri potest. V. Wopkensii Lectt. Tull. p. 271. ibique Hand. not. 110.

sein Vaterland die Waffen zu ergreifen. Lib. I. de legg. c. 20. §. 54. *Att. Perparvam vero controversiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia. M. Probe quidem sentis, si re, ac non verbis dissiderent* — ubi, quum Ernestius ex editionibus veteribus quibusdam *dissident* recepisset, recte quidem imperfectum restituit Goerenzius, sed in explicanda temporum ratione item lapsus est, ut superiore loco. Vult enim imperfectum conjunctivi pendere e verbo *sentis*, in quo praeteriti notionem latere dicit, non intelligens, imperfectum conditionalem habere notionem. Vid. Ellendt. in Commentatione de formis enuntiatorum conditionalium p. 69. Itaque totius loci haec erit sententia: *du hast Recht, wenn sie der Sache, und nicht den Worten nach von einander verschieden wären.* Quare si quid mutandum, potius *sentires* scribendum esset; quamquam in dialogo, qui familiaris sermonis speciem prae se fert, facile hoc tolerandum. Persuasum est enim Marco, Stoicos et veteres Academicos verbis tantum discrepare, re consentire; quare minus recte praesente (*dissident*) usus esset, quoniam tum ipse ambigere videretur, utrum dissensio esset inter illos philosophos, necne. Ad similitudinem locorum, quos paullo ante tractavi, accedunt alii quidam, veluti in Cic. lib. I. de republ. c. 3. §. 4. *quibus* (viris fortibus) *magis id miserum videri solet, natura se consumi et senectute, quam sibi dari tempus, ut possint eam vitam, quae tamen esset red-*

denda naturae, pro patria potissimum reddere — ad quem locum quum Moserus ea commemoravit, quae disputaverit ad Cic. de legg. I. c. 17., item in errore est, ut illo. Non enim imperfectum hic aptum est ex praesente, sed quod facile est intellectu, habet vim conditionalem: *ein Leben für das Vaterland aufopfern, das denn doch einmal der Natur zurückgegeben werden müsste.* Cfr. Tuscul. disputatt. l. V. c. 33. ex. *ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, quum exspectatio speratarum voluptatum perceptarum memoriae jungeretur* — ubi, quum Bentlejus *jungeretur* legi voluisset, quoniam haec verba penderent ex praesente *praecipit* (§. 98.), codicum scriptura recte a Kuehnero defensa est. Huc referendus etiam est locus in l. II. de nat. deor. c. 56. §. 141. *Atque ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quae profluentia necessario taetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit a sensibus,* — de quo vid. Handii annotat. ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 176. Cic. de invent. II. c. 27. ex. *Postea demonstrandum est, non esse illud ejusmodi, ut ob id hoc fieri conveniret,* i. e. es sey nicht von der Art, dass es passen würde (vid. Ramshorn. Grammat. Latin. p. 794.), Ernestius tamen *convenerit* vel *conveniat* legendum esse censuit. Tuscul. disputatt. V. c. 2. §. 6. *Vituperare quisquam vitae parentem* (philosophiam), *et hoc parricidio se inquinare*

audet? et tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiamsi minus percipere potuisset? — quibus in verbis non video, quid offensionis habeat imperfectum conjunctivi (*deberet*), quod non pro praesente positum est, uti Fikenscher. in Diar. scholast. 1829. II. nr. 82 et 83. censuit, sed vim conditionalem habet, atque sequentibus verbis: *etiamsi* — — *potuisset* respondet. Nam si praesente usus esset scriptor, idem verbum, mutata temporis ratione, repetendum fuisset, hoc modo: *quam vereri debeat, atque tum etiam vereri deberet, si minus eam percipere potuisset.* Sed priora illa, quae praesente (*debeat*) enuntianda erant, ita omissa sunt, ut nemo ea desideret; nec magis, si in germanicam linguam ea transferrentur, quidquam desideraretur. Sed nescio, quomodo fiat, ut, quae in nostro sermone quin recte se habeant nemo dubitat, eadem si in alia lingua reperiantur, nonnunquam sint offensioni. Minus facile quam ejusmodi loci offendent, in quibus duo membra enuntiati conditionalis comparent; quamquam horum ratio non diversa est a ratione illorum, quos supra commemoravi. Cfr. Cic. de nat. deor. I. c. 31. §. 88: *Quae sunt tantae animi angustiae, ut, si Seriphi natus esses nec unquam egressus ex insula, in qua lepusculos vulpeculasque saepe vidisses, non crederes leones et pantheras esse, cum tibi, quales essent, diceretur.* Lib. II. de finib. c. 15. §. 49. *honestum tale est, ut vel si igno-*

rarent id homines vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset — laudabile.

Denique attractionis quodam genere fit, ut nonnunquam verbi tempus, quod ad principalem sententiam pertinet, secundariae sententiae accommodatum sit. Quod non dixerim errore scribentis fieri, ut ait Ellendtus in annotat. ad Brut. c. 32. §. 124., verum ipsa rei natura facile ita tulit, ut, quum ad utramque sententiam accommodari posset enuntiati principalis verbum, id proximae accommodaretur. Cfr. Cic. de nat. deor. II. c. 46. §. 118. *Ex quo eventuri nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quum humore consumpto neque terra ali posset, neque remearet aër, cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non posset; ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursum animante ac deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur* — ubi imperfecta: *ignesceret — posset — remearet* etc. pendent ex verbo enuntiati secundarii: *dicebat.* Vid. Ellendt. ad Brut. l. c., qui praeterea affert: Epp. ad Att. XI. 16. med. *Peto, quod superioribus literis* (scil. *petivi*), *ut, si quid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres.* Atque ejusdem plane generis sunt hi loci: Cic. de legg. III. c. 15. §. 33. *M. Dicam, Tite, et versabor in re difficili ac multum et saepe quaesita: suffragia magistratu mandando, aut reo judicando, lege*

aut rogatione sciscenda, clam an palam ferre melius esset — ubi, nisi verbum *quaesita* interpositum esset, scribendum fuisset: *melius sit.* Epist. ad Fam. II. 4. in. *Epistolarum genera multa esse non ignoras; sed unum illud certissimum, cujus causa res inventa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset* etc. — ubi imperfectum *faceremus* pendet e verbo enuntiati secundarii: *inventa est.* Cic. de republ. III. c. 3. §. 5. *Quae perficit in bonis ingeniis, id quod jam persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsisteret.* Tuscul. disputatt. V. c. 11. §. 33. *Verumtamen, quoniam de constantia paullo ante diximus, non ego hoc loco id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit, quodque ejus auditori, Aristoni, bonum esse solum, quod honestum esset.* Lib. III. de finib. c. 11. §. 39. *Constituto autem illo, de quo ante diximus, quod honestum esset, id esse solum bonum, intelligi necesse est* etc., ubi, quum vulgo legeretur: *quod honestum sit*, recte quidem a Goerenzio codicum scriptura *esset* restituta est, sed non debebant ad eam defendendam loci afferri, qui nihil prorsus similitudinis habent, veluti Cic. de nat. deor. I. c. 18. §. 40., de quo loco supra dictum est. Extitit tamen postea quoque vir doctus quidam (in ephemerid. Jenan. 1828. nr. 98.), qui haec comparanda esse censeret. Pendet autem imperfectum conjunctivi a verbo secundarii enuntiati *diximus.* Non praetermittendum est, eam

esse hujus loci rationem, ut, etiamsi verba illa: *de quo ante diximus*, non essent interposita, tamen imperfectum, quoniam perf. *constituto* antecedit, retinendum esset. Quamquam enim ejusmodi perfectis, quae vim praesentis habent, etiam praesentia adjungi possunt (cfr. Cic. de off. II. c. 15. in. *Sed expositis adolescentium officiis, quae valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia dicendum est*), tamen usui magis convenire imperfecta, saepe jam a viris doctis animadversum est. Cfr. lib. II. de off. c. 5. in. *Quinque igitur rationibus propositis officii persequendi, quarum duae ad decus honestatemque pertinerent* etc., ubi vid. Beier.

Huc quoque referendus esse videtur locus quidam in libr. I. de republ. c. 17. §. 27. *Quam est hic fortunatus putandus — — qui, ut Africanum avum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, nunquam se plus agere, quam nihil quum ageret; nunquam minus solum esse, quam quum solus esset* — ubi verba interposita: *solitum esse dicere*, effecerunt, ut scriptor in commemoranda sententia ipsa imperfectis uteretur, ad eum, cujus afferebat verba, respiciens. Non dissimilis est ea ratio, qua, quum praecedat praeteritum, cui imperfectum adjungendum erat, tamen, sententia interposita, effectum est, ut praesens sequeretur. Cfr. Cic. de republ. II. c. 22. §. 39. *curavitque, quod semper in re publica tenendum est,*

ne plurimum valeant plurimi, ubi quum Moserus citat Ruddimanni institutiones grammat. latin. T. II. p. 331., apparet, eum ne hujus quidem loci rationem recte intellexisse. Ibi enim ejusmodi loci afferuntur, in quibus, quum effectus adhuc durans significetur, praeterito praesentia adjuncta sunt, veluti in Terent. Adelph. I, 1, 29. *Ea ne me celet, consuefeci filium.* Quae struendi ratio ut nonnunquam admissa sit a veteribus scriptoribus, tamen et quibus modis ea admitti potuerit, melius ab aliis, quam a Ruddimanno illustratum est (pauca enim et jejuna sunt, quae attulit), neque hunc locum ex similitudine illorum judicandum esse, facile intelligi potest. Nam, si quid video, hoc quoque loco animadvertenda est illa consuetudo, quae posita in proprietate latini sermonis latissime patet, ut proximis accommodaretur verborum structura. Itaque, quo ducimur ratione loci ipsius et similitudine eorum, quae supra posui, statuendum est potius, praesens *valeant* pendere e verbo sententiae interpositae: *tenendum est.* Sed non possum, quin hoc loco notem errorem quendam Ellendti, qui in annotat. ad Cic. Brut. §. 124. in numero eorum locorum, in quibus per quoddam attractionis genus verbum, quod ad principalem sententiam pertinet, accommodatum sit secundariae sententiae, retulit quoque locum quendam Tullii, qui est in lib. I. de orat. c. 54. §. 231. *Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi poenae aesti-*

matio: et sententia quum judicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimationem commeruisse confiteretur: quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur; qui honos apud Graecos maximus haberetur. Merito quidem Ellendtus imperfectum *haberetur*, quod Ernestius in *habetur* mutari voluerat, defendit; sed non video, quomodo in hunc locum conveniat ea ratio, quae in superiores, ubi sententia interposita effecit, ut verbi tempus mutaretur. Neque hoc fugit novissimum horum librorum editorem, Henrichsenum; qui quum haec verba nullo modo cum Socratis responso conjungi posse, sed ab homine Romano ad graecum morem illustrandum addita esse videret, cum Schuetzio, Harlesio, Muellero et Olshausenio Ernestii conjecturam recipiendam esse sibi persuasit. Quod quamquam non temere ab eo factum esse dixerim, quum tot virorum auctoritas mentis aciem facile praestringere posset, tamen nescio an cautius in hac re ei versandum fuerit. Nam ut omittam, quod librorum manuscriptorum nulla hoc loco cernitur discrepantia, tardiorem certe ad mutandum facere debebat simillimus locus, qui est in Cic. Tuscul. disputatt. V. c. 12. §. 34. *Apud quem* (Platonem) *saepe haec oratio usurpata est, ut nihil praeter virtutem diceretur bonum: velut in Gorgia Socrates, quum esset ex eo*

quaesitum, Archelaum, Perdicae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? Haud scio, inquit, nunquam enim cum eo collocutus sum. Nemo quidem, quod sciam, conjunctivo *haberetur* offensus est, et tamen eadem plane ratio est hujus loci, atque illius; ut si quis illum corrigat, hunc quoque, si consentaneus sibi esse velit, corrigat necesse sit. Intelligitur enim, verba: *qui tum fortunatissimus haberetur*, non esse ejus, qui ex Socrate illa quaesierat, sed, quod vel particula *tum* satis indicat atque graeca ipsa demonstrant, a scriptore ea addita esse, rei illustrandae causa. Itaque hoc loco, item ut illo requirebatur imperfectum conjunctivi. Quod si conjunctivum modum positum esse videmus, eum ita explicandum esse censeo, ut statuamus, scriptorem intentum ad orationis obliquae tenorem, in iis quoque conjunctivum adhibuisse, quae quum ex superioribus apta non essent, indicativum adsciscere debebant. Cujusmodi quidem loci etsi quandam attractionis similitudinem prae se ferunt, tamen idcirco non in eodem, quo illi, habendi sunt numero, nec immerito Kruegerus in *introductione* ad librum *de attractione* p. XI sq. eos ab hoc genere prorsus seclusisse videtur *). Sed utcun-

*) Kruegerus quidem non de his ipsis locis, quos tractavi (lib. de orat. I. c. 54. et Tuscul. disputatt. V. c. 12.), sed de aliis quibusdam, quos Guentherus ad Cornel. Nep. Themist. c. 4. eodem modo explicari voluerat, disseruit. Sed

que est, nihil enim hoc pertinet ad eam rem, de qua hic quaeritur, id certe effectum esse puto, ut intelligatur, locum illum, qui est in lib. I. de orat. c. 54., neque in eorum numero esse habendum, in quibus attractionis quoddam genus statuendum sit, neque conjunctivum, licet idoneam causam habere non videatur, conjecturis tentandum esse.

Reliquum est, ut nonnullos persequar locos, quos a viris doctis perperam aut in eodem, quo superiores, numero habitos, aut certe cum iis comparatos esse videam; quamquam eorum naturam si quis accuratius consideraverit, ita comparatam esse intelliget, ut neutrum fieri posse concedendum sit. Veluti Moserus in annot. ad Cic. de republ. lib. I. c. 17. §. 28. *cui persuasum sit, appellari ceteros homines, esse solos eos, qui essent politi propriis humanitatis artibus* — Bakium, qui *sint* pro *essent* legi voluerat, ita refutavit, ut diceret, in oratione obliqua imperfectum nihil habere offensionis *); idemque Moserus in annot. ad

de his quoque locis duo certe alius sunt generis, nec cum his comparandi, vid. Daehnii annot. ad Themist. c. 4. §. 3. ad Epam. c. 7. §. 1., neque causa conjunctivi deest tertio loco: Att. c. 5. §. 1. Rectius fortasse huc referas quartum: Datam. c. 8. §. 4.

*) Quo quidem praecepto, orationi obliquae proprium esse imperfectum conjunctivi, nihil fingi potest mirabilius. Neque enim praesens neque imperfectum neque ullum tempus huic struendi generi proprium esse dici potest; quum

lib. II. c. 1. §. 2. *Nam neque ullum ingenium tantum extitisse dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset; neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate* — haec habet: „Ita post praesens infinitivi in oratione obliqua solet Cicero ponere imperfectum conjunctivi, v. c. lib. III. de orat. c. 32. §. 127. lib. de divinat. II. c. 24. §. 51. Goerenz. ad legg. lib. III. c. 17. §. 38.“ Jam si quis consideraverit, quae sit loci, qui est in libro de legg., natura atque ratio, et quae ibi disputaverit Goerenzius, is intelliget, quam diversa hic a Mosero sint confusa. Sed ut hoc praetermittam, neque priore loco (de republ. I. c. 17.), neque altero (ibd. II. c. 1.) imperfectum pendet ex infinitivo praesentis, non magis, quam quod supra dictum est, verborum tempora pendere possunt e participiis; quum, quae in his modis insit temporis notio, ea non ita sit definita, ut alius verbi tempus iis regi possit. Sed utroque loco praeterita: *persuasum sit* et *dicebat* effecerunt, ut in oratione, quae ex iis apta esset, imperfecta conjunctivi ponerentur. Vid. Krueger. in Quaest. grammat. fasc. II. p. 37 sqq. Etzler. in disquisitionibus grammat. p. 81 sq. Itaque potius id notandum erat,

---

temporum ratio ipsa cujusque loci natura nitatur. Modus tantum verbi orationi obliquae proprius esse dici potest i. e. *conjunctivus*.

quod apud Latinos scriptores inprimisque Ciceronem saepe factum esse intelligimus, ut ea quoque, quae absolute (ut hoc vocabulo utar) poni potuissent, nec ad unum hominem unumve tempus spectarent, ad verbi primarii tempus referrentur, eique accommodarentur*). Conf. quae de hac re disputarunt Beierus ad Cic. de off. T. II. p. 20 sq. Kuehner. ad Tuscul. disputatt. I. c. 1. p. 46. et c. 4. p. 53. Nam quae Kruegerus et post eum alii de duplici vi perfecti docuerunt, ut si perfectum sit praesentis, praesens conjunctivi; sin aoristi, imperfectum conjunctivi ei adjungatur, ea haud scio an subtiliora, quam veriora sint; ut non possim non assentiri Etzlero (in l. c. p. 141 sq.), qui, quod Kruegerus ipse (fasc. II. p. 67 sqq.) concedere quodammodo videtur, latinos scriptores de hoc discrimine non cogitavisse docuit. — Sed ut ad rem revertar, in eundem errorem, quem supra in Mosero notavi, qui ex infinitivo praesentis imperfectum conjunctivi pendere existimavit, incidit etiam Matthiaeus, qui in Miscell. philol. Vol. II. P. I. p. 100 sq. in numero eorum lo-

---

*) Idcirco tamen non mutandi sunt loci, in quibus praesens praeterito adjunctum est, veluti Cic. de nat. deor. III. c. 4. §. 10. *Primum fuit* (argumentum), *Quum coelum suspexissemus, statim nos intelligere, esse aliquod numen, quo haec regantur* — ubi Heindorf. ex uno Glogav. codice scripsit: *regerentur*. Haec enim etiamsi praesente enuntiata sunt, tamen ad praeteritum quoque referri posse, supra demonstratum est.

corum, in quibus praesenti adjunctum sit imperfectum, retulit Cic. de finib. I. c. 6. §. 19. *Deinde ibidem homo acutus* (Epicurus), *quum illud occurreret: si omnia deorsum e regione ferrentur, et, ut dixi, ad lineam, nunquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere: itaque attulit rem commenticiam: declinare dixit atomum perpaullum, quo nihil posset* *) *fieri*

---

*) De hoc quoque conjunctivo a viris doctis disceptatum est. Etenim quum Bakius ad Cleomedem p. 418. *potest* pro *posset* legi voluisset, merito quidem novissimi editores Orellius atque Otto hanc conjecturam rejecerunt, sed rationes, quibus codicum lectionem defenderunt, non satis idoneae videntur esse. Orellius enim (Opp. Cic. Tom. IV. P. I. p. 573.) ideo imperfectum conjunctivi hic positum esse censuit, quia haec verba non unius Ciceronis decretum contineant, sed ex communi omnium sanorum philosophorum sententia dicta sint. Qua quidem in re etsi justa conjunctivi causa posita esse non potest, tamen, ut justa habeatur, in hunc locum ne convenit quidem; quum facile intelligatur, eam esse hujus loci rationem, ut non possint non illa verba ad Ciceronem ipsum referri. Non magis Ottonis interpretatione aliquid lucramur; qui quum dicit, locum ita vertendum esse: *aber es möchte wohl nichts weniger als diess geschehen können*, non vidit, hanc interpretationem cadere tantum in conjunctivum praesentis (quo spectant etiam loci, quos attulit, veluti Tuscul. dispp. I. c. 8. §. 15. lib. de legg. I. c. 8. §. 25. c. 9. §. 27. de finib. II. c. 1. §. 3. III. c. 15. §. 50.), nec vero in conjunctivum imperfecti, aut, si in hunc cadat, ad imperfecti rationem illustrandam eam nihil valere. Sed ut dicam, quid ipse de hoc loco sentiam, non dubito, quin imperfecto conj. tribuenda sit vis conditionalis: *aber es würde wohl nichts weniger als diess geschehen können*, scil. *wenn*

minus; ita effici complexiones et copulationes et adhaesitationes atomorum inter se; ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quaeque in eo essent. Quo quidem loco non magis, quam illis, imperfecta (*efficeretur — essent*) pendent ex infinitivo, sed verbum primarium (*dixit*) effecit, ut in oratione inde apta imperfecta ponerentur. Atque eadem est ratio loci in lib. I. de finib. c. 11. §. 38. *Itaque non placuit Epicuro, medium esse quoddam inter dolorem et voluptatem: illud enim ipsum (quod quibusdam medium videtur) quum omni dolore careret, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem*, ubi, si quidem vera est haec scriptura, nec cum Orellio, deleta particula *quum*, *carere* potius legendum, imperfecti causa quaerenda est in perfecto *placuit*. Vid. ibi Goerenz. Denique in loco de legg. II. c. 17. §. 44. *Reprimam jam me, et non insequar longius, eoque minus, quo plus poenarum habeo, quam petivi. Tantum ponam duplicem esse poenam divinam, quod constaret et ex vexandis vivorum animis; et ea fama mortuorum, ut eorum exitium et judicio vivorum et gaudio comprobetur*, tanta est scripturae diversitas, ut difficile sit judicatu, quid verum sit. Imperfectum tamen *constaret*, ut nunc haec verba leguntur, non video, quomodo

---

überhaupt etwas der Art geschehen könnte — quae una, nisi fallor, est ratio, eaque satis aperta, qua hoc imperfectum conj. explicandum est.

explicandum sit, atque recte Orellius, si quidem omnino in ejusmodi loco, qui multa habet, quae suspecta sint, aliquid tentandum est, *constat* ex codicibus quibusdam recepisse videtur. Vid. Hand. in annot. ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 48. idemque in libro, qui inscribitur: Lehrbuch des latein. Stils p. 219.

His igitur, de quibus dicere propositum mihi fuit, ad finem perductis, non possum, quin de locis nonnullis controversis, cujus generis multos etiamnunc in Ciceronis scriptis reperiri constat, meam sententiam qualemcunque paucis verbis explicem.

Lib. de nat. deor. I, 8. §. 20. *Longum est omnia, quae talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur. Sed illa palmaris quidem, quod, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum.*

Quamquam qui nuperrime in his libris emendandis explicandisque operam collocarunt, nihil hoc loco offensi sunt, eumque incorruptum habuisse videntur: tamen haud scio an superiores editores, qui in codicum scriptura vitium aliquod latere censuerunt, rectius de his verbis judicaverint. Apertum enim est, deesse substantivum, ad quod referantur feminina: *illa palmaris*, quae, ut nunc leguntur, non habent, quibuscum conjungantur. Nam quod nonnulli statuerunt, veluti Goerenzius (in annot. ad Cic. Academ. p. 238.), Fr.

A. Wolfius et Moserus, quorum opinionem Orellius quoque probasse videtur, ex superioribus verbis cogitatione repetendum esse *sententiae* vocabulum, idque hoc loco subaudiendum: hoc ita comparatum est, ut vehementer dubitem, an ejusmodi quid omnino fieri non possit. Singulare enim hoc esset exemplum, ut vocabulum aliquod ad enuntiationem longo intervallo sejunctam subaudiri possit. Quod ut rationi ipsi prorsus repugnat, ita nihil habet probabilitatis ab usu et consuetudine loquendi. Neque magis probaverim, si quis aliud quid subaudiri velit, veluti *rei* vocabulum, quod scio nonnullis in locis a viris criticis factum esse: quasi ea sit hujus vocabuli natura, ut nihil referat, utrum id addas, an omittas. Sed qui in Ciceronis scriptis olim reperiebantur loci, in quos hoc cadere existimarunt, ii aut correcti jam sunt, aut alius plane sunt generis, aut non immerito etiamnunc in corruptis habentur. Veluti in oratione pro Flacco c. 17. extr. *Sed quoniam de hoc teste, totoque Mithridatico crimine, disseruit et subtiliter et copiose Q. Hortensius, nos, ut instituimus, ad reliqua pergamus*, quum complures libri manuscripti omitterent vocabulum *crimine*, id delendum censuit Garatonius et subaudiri voluit: *negotio* vel *consilio*; idemque ad hanc opinionem confirmandam comparavit Act. II. in Verr. lib. II. c. 23. §. 56. *Res percrebuit: in ore atque sermone omnium coepit esse. Verres refert illam suam Syracusanam:*

ait sese velle etc. et lib. IV. c. 23. §. 51. *Illa vero optima, quod, quum ad Haluntium venisset praetor* —, *ipse in oppidum accedere noluit* etc. Ac primo quidem loco jure Orellius vulgatam scripturam retinuit, quum voc. *crimine* firmetur etiam auctoritate codicis Vaticani, cujus libri non mediocrem auctoritatem esse constat. V. Klotz. in Emendatt. Tull. p. 21 sq., qui idem vulgatam scripturam tuendam esse censuit. Sunt autem quidam nimis in hac re suspiciosi, ut, ubicunque aliquid nonnullis in libris omissum esse videant, id, si quidem aliquo modo ejus omissio defendi possit, delendum censeant; quasi id tantum librarii aut correctores egerint, ut adderent verba, nec vero unquam factum sit, ut omitterent vel consulto vel casu. Alterius autem loci (or. in Verr. II. §. 56.) ea est ratio, ut prorsus infringeretur ejus auctoritas, si in codice Vaticano revera exstaret ea scriptura, quam A. Maius primo eruerat: *refert illa sua Syracusana.* Sed quum Majus, lectionem hujus libri repetens, literae *m* vestigia in eo reperisse sibi visus esset, hujus quidem libri auctoritate, nisi quid de Maii fide detrahere velis, ad vulgatam scripturam infirmandam jam vix uti licebit. Verumtamen nescio, quomodo fiat, ut omissio substantivi hoc loco minus habeat offensionis, quam ceteris locis. Dissentiunt quidem viri docti inter se, quid subaudiendum sit; et Lambinus in editione anni 1566. de conjectura vocabulum adjiciens scripsit: *refert se ad il-*

lam suam rationem Syracusanam, in margine autem editionis anni 1584.: *refert illam suam rationem Syr.*, Gruterus autem, nihil addens, Syracusanam *cantilenam* intelligi voluit, Zumptius (cujus rationem probavit Creuzer. in Annal. litter. Vindobon. 1833. Vol. 62. p. 194.) *rei* vocabulum subaudiendum esse censuit; Schuetzius denique admodum probabiliter *fabulam* intelligendam esse conjicit, quum *referre fabulam* idem sit, quod fabulam reponere et iterum in scena agere; qua in re nostri dicerent: *er spielte die Comoedie von Syracus noch einmal.* Jam vero, sive fabulam sive cantilenam intelligendam esse putamus, non sine causa Tullius substantivum hoc loco omisisse videtur, quum vel acerbius quiddam esset dicturus, quam quod illis vocabulis significari posset, vel, ut huic rei turpitudinis quandam notam inprimeret, eam ne nominare quidem vellet. Hoc autem in omni sermone fieri potest, ut, quum gravius quiddam sumus dicturi, aut quum non suppetit vocabulum, quo rei turpitudo satis declarari possit, rei nomen prorsus omittamus, si quidem id ipsum, quod reticetur, quale sit, facile intelligi potest. Tertium denique locum (orat. in Verr. IV, 23, 51.) plurimi libri manuscripti ita exhibent: *Illa vero optima est, quod* etc., quam scripturam acriter defendit Zumptius, qui hic ut ceteris in locis *rei* vocabulum subaudiendum esse censuit. Sed hoc quoque loco non potest non permira videri omissio substantivi, atque haud scio an verbum *est*

delendum et verba: *illa vero optima* pro neutris sint habenda; cui opinioni usus certe atque consuetudo Ciceronis admodum favet, qui in his similibusque semper fere omittit verbum substantivum. Vid. Klotzii annotat. ad Cic. Lael. c. VI. §. 20. p. 124. Jam quum antiquis quibusdam in libris verbum substantivum prorsus abfuisse videatur, in uno autem codice pro eo *sunt* repertum sit, facile suspicari licet, a librariis haec esse profecta, praesertim quum aliis quoque locis talia ab iis addita esse animadversum sit. Cfr. Cic. de off. III. c. 11. §. 47. *Illa praeclara, in quibus publicae utilitatis species prae honestate contemnitur*, ubi unus alterve liber *sunt* addit. Lib. I. c. 12. §. 38. *Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara* — ubi in Suffridi Petri editione: *praeclara est*, aliis autem in libris: *praeclara est sententia*, reperitur. His addi possunt loci, in quibus nulla lectionis diversitas notata est, lib. de legg. II. c. 23. §. 59. *Haec laudabilia et locupletibus fere cum plebe communia*. Acad. II. c. 27. §. 86. *Jam illa praeclara, quanto artificio esset sensus nostros — — fabricata natura!* Lib. de nat. deor. II. c. 45. in. *Nec vero haec solum admirabilia, sed nihil majus, quam quod* etc. Lib. de finib. II. c. 3. in. *Tum ille ridens, Hoc vero, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id extremum, id ultimum bonorum, — id ipsum quidem, quale sit nesciat!* Multo minus autem pro-

bare possum, quod idem Zumptius in Quinctil. Institt. orat. VI. c. 1. §. 4. *Illa vero jucundissima, si contingat aliquod ex adversario ducere argumentum* etc., *rei* vocabulum subaudiri voluit. Nam etiamsi Spaldingii opinio, qui *figurae* vocabulum intelligendum esse censuit, nullam habet probabilitatis speciem, tamen non probabilior est Zumptii ratio, nec video ullam necessitatem, quae, ut aliquid hoc loco omissum esse statuamus, nos cogat; ut mirandum sit, id quod satis est planum apertumque, adjectiva illa pro neutris esse habenda, praeterisse Zumptium. Sed utcunque est, non puto his locis quidquam comprobari posse, atque illum quoque locum, qui est in lib. I. de nat. deor. c. 8., corrigendum esse censeo. Quod idem quum visum esset Davisio, is legendum esse censuit: *sed illud palmare est, quod, qui* etc., i. e. illud reliquorum placitorum absurditatem vincit: quae conjectura licet satis apta sit ad sententiam ipsam, atque laudata etiam a Wyttenbachio, tamen, quoniam nimis a codicum vestigiis recedit, probari non potest. Minus etiam habet, quo commendetur Heindorfii conjectura, qui e codicum quorundam vestigiis ita haec constitui voluit: *sed ille palmaris* (i. e. palmam meretur), *qui quum non modo* etc. Sed quum aliae sunt causae, propter quas rejicienda est haec conjectura, tum ea, quod vocabulo *palmaris* notionem subjectam esse intelligitur, quae in eo non inest. Miram Creuzeri conjecturam: *Sed ille*

παλινάγρετος, *qui* etc. vix est, quod commemorem. Neque majoris momenti est, quod vir doctus quidam legi voluit: *Sed illa stultitia palmaris, quod* etc., quamquam id vere sensit, si vulgata scriptura servetur, ejusmodi quid addendum esse. Sed mirum est, neglectam jacuisse eam conjecturam, quae mea quidem opinione omnium est facillima atque aptissima, quam Davisius in prima horum librorum editione proposuerat: *Sed illa palmaria quidem, quod* etc., atque cogunt quodammodo, ut ita scribamus, ea, quae proxime antecedunt: *longum est omnia, quae talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur*, quibus non dubito, quin ea quoque, quae sequuntur, accommodanda sint.

Lib. de nat. deor. I. c. 10. in. *Qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo viderunt, animi natura intelligentis, in quam figuram cadere posset.*

Orellius hoc loco casu magis, quam certa quadam ratione ductus in eam lectionem incidisse videtur, quae, mea quidem opinione, maximam prae se fert probabilitatis speciem. Nam ut ex ejus annotatione videre licet, non ab omni suspicione hunc locum liberum esse existimavit, quum et de *animi* vocabulo et de participio *intelligentis* dubitationes moveret. Plurimis enim in codicibus et antiquis editionibus haec ita leguntur: *nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes in*

quam figuram cadere posset, quod quamquam tutati sunt Ernestius, Heindorfius et Moserus, tamen ferri non posse viderat jam Lambinus, qui docuit, scribendum certe esse: *non intelligentes*, id quod ipsa linguae ratio postulat; et recepit hoc Davisius. Alii alias proposuerunt conjecturas, quas enumerare longum est. Sed Eichstadii emendationem, quoniam Fr. A. Wolfius, Matthiaeus et Moserns eam probaverunt, non puto praetermittendam esse; is igitur ita legendum esse censuit: *nullo modo viderunt, animi natura et intelligentia in quam figuram cadere posset*, quod quamquam ad sententiam ipsam satis est aptum, nimis tamen a codicum lectione recedit. Quae qnum eandem praebeat sententiam, nullam aliam ob causam a viris doctis repudiata est, quam quod dici non posse pntarent: *animus intelligens*. Nam in plurimorum librorum lectione: *intelligentes* puto latere veram scripturam *intelligentis*, quod nonnulli codices plane hoc modo exhibent. Hoc igitur dici posse negaverunt Davisius, Heindorfius et Wolfius, quia non animus omnino, sed pars tantum animi, *mens*, intelligentiae sit particeps; nec unquam Ciceronem ita locntum esse affirmant. Quod quamquam verum est, nimis tamen videntur hac in re fuisse curiosi. Nam etiamsi alias non ita locutus est Tullius, tamen hoc loco causam animadvertere licet, cur ita sit locutus. Nam qnum Vellejus Epicnreus, qui hic loquens introducitur, duas res in deorum natura requi-

reret, primum, ut essent *animantes*, deinde ut essent *intelligentes*, quumque haec in nullam, nisi in hominis figuram cadere posse existimaret: miratur, quomodo Stoici mundum animantem sapientemque dicere potuerint. Jam propter *animantis* vocabulum usus est haud dubie in iis, quibus refellit Stoicorum sententiam, *animi* vocabulo, et debuit eo uti; quum vero id non satis esset ad eam rem significandam, quae inprimis erat spectanda, i. e. ut animus ille etiam *intelligentia* sit praeditus, necessario hoc erat adjiciendum; quod quidem facilius et brevius fieri non potuit, quam si putamus Ciceronem scripsisse: *animi natura intelligentis*. Tantum igitur abest, ut molestum sit vocabulum *intelligentis*, quod Goerenzio et Orellio visum est, ut plane necessarium id esse putem, quoniam animi notione non una comprehenditur intelligentiae notio; verum possunt esse, ut sunt, animalia, quae careant ratione atque intelligentia. Rem ita se habere compluribus demonstrari potest locis, ubi in divina natura requiritur non solum ut ea sit *animans*, sed etiam ut sit *intelligens*; unde ea in Acad. l. II. c. 37. extr. appellatur *animalis intelligentia*. Ex his autem libris maxime huc pertinent loci nonnulli, qui in libro secundo reperiuntur, veluti c. 12. §. 32., ubi dicit Stoicus: *Ex quo efficitur, animantem esse mundum. Atque ex hoc quoque intelligi poterit, in eo inesse intelligentiam.* c. 13. §. 36. *Quid est autem inscitius, quam eam naturam,*

quae omnes res sit complexa, non optimam dici, aut, quum sit optima, non primum animantem esse, deinde rationis et consilii compotem, postremo sapientem? et denique in lib. III. c. 25. §. 64. legimus: *Neptunum esse dicis animum cum intelligentia per mare pertinentem.* — His igitur locis hoc certe effici puto, ut intelligatur, utriusque rei hoc loco necessariam esse commemorationem et *animi* et *intelligentiae*. Denique commemorandum est, in plurimis libris pro nominativo *natura* reperiri accusativum, in quo graecam loquendi rationem Ciceroni non inusitatam animadvertere licet. Atque haud scio an haec scriptura praeferenda sit ei, quam Orellius recepit, quae uno tantum in codice, eoque non magnae auctoritatis, reperta est. Multa hujus hellenismi exempla ex Ciceronis scriptis attulit Beier. in annot. ad orat. pro Tullio fragm. p. 21., ubi hujus quoque loci mentionem fecit.

Lib. I. c. 19. in. *Haec quamquam et inventa sunt acutius et dicta subtilius ab Epicuro quam ut quivis ea possit agnoscere: tamen fretus intelligentia vestra dissero brevius, quam causa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo viderit animo, sed etiam sic tractet, ut manu nos ducat, docet eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur.*

Non potest non cuique permirum videri, quomodo

factum sit, ut recentiores editores paene omnes adeoque Orellius glossema istud: *nos ducat*, recipiendum esse sibi persuaderent. In plurimis enim et optimis libris omnibus verba ista omissa sunt, atque tantum in codice Parisino I. et Glogaviensi, quos libros constat refertos esse omni genere glossematum, reperiuntur. Jam si sententiam ipsam spectas, tantum abest, ut ista verba necessaria esse videantur, ut meliorem etiam praebeat sententiam vulgata scriptura, de qua nullas movissent dubitationes, si vim formulae: *tractare ut manu* tenuissent. Vellejus enim, qui hic loquens inducitur, maximis laudibus effert ingenium atque acumen Epicuri, quippe qui non solum animo viderit rerum obscurarum qualis esset natura (quod aliis philosophis non contigit, qui commenticias tantum atque futiles res protulerint, conf. c. 8. §. 18. c. 16. §. 42.), sed etiam de rebus illis reconditis, quae intelligentiae nostrae vim fugere videntur, ita disseruit, veluti de rebus, quae manibus comprehenduntur atque ante oculos positae sunt. Harum enim natura qualis sit, neminem potest fugere. Dicuntur autem Latinis res, quae apertae sunt et manifestae, *in manibus esse*, vel *manibus teneri*, conf. Cic. Brut. c. 80. §. 277. *quum indicia mortis se comperisse manifesto et manu tenere diceret;* similiterque *rem tractare ut manu* dicitur is, qui de rebus obscuris, perspecta earum natura, ita disserit, veluti de rebus, quae ante oculos sunt positae, vel manu com-

prehendi possunt. Hanc locutionis illius sententiam, qua nihil huic loco magis convenit, ut facile est ex verbis ipsis et ex similitudine eorum, quae dicuntur *in manibus esse*, *manibus teneri*, elicere: ita optime defenditur loco quodam in lib. I. de republ. c. 10. §. 15., quem, quia omnem in hac re tollit dubitationem, integrum hic describam. Sunt autem verba ibi haec: *Sed ego non nimis assentior in omni isto genere nostro illi familiari, qui, quae vix conjectura qualia sint possumus suspicari, sic affirmat, ut oculis ea cernere videatur, aut tractare plane manu.* Ex his etiam intelligitur, eam vulgatae scripturae interpretationem, quam protulit Jentzenius, dicens: *manu tractare* hoc loco esse, quasi artifice manu tractare, abhorrere a vera hujus locutionis vi atque significatione. Reliqua, de quibus hoc loco disputatum est a viris doctis, praetermitto, quum non dubitem, quin ita haec sint legenda, quemadmodum ea edidit Orellius.

Lib. de nat. deor. II. c. 29. §. 74. *Nec vero hoc in te unum convenit moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum: sed quum in reliquos vestros, tum in eum maxime, qui ista peperit, hominem sine arte, sine literis, insultantem in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore.*

Duplex de hoc loco instituenda erit quaestio, altera de sententia, altera de ratione grammatica. Ac pri-

num quidem, quum de sententia quaeritur, non potest esse dubium, quin, quomodo nunc haec verba leguntur, ea ita se habeat: *Illa reprehensio non modo in te cadit, qui es moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatus, sed in omnes Epicureos, et maxime in Epicurum ipsum.* In superioribus enim Balbus, qui Stoicorum rationem explicat, reprehenderat Epicureos, quod ii sua modo legant atque ament, ceteros autem philosophos causa incognita condemnent; adeoque salem quendam in aliorum sententiis irridendis consumant; veluti quum providentiam, qua mundum gubernari docuerunt Stoici, anum fatidicam nominent. Jam vero eandem reprehensionem in Vellejum cadere, qui libro superiore Epicuri rationem explicuerat, aperte significatur verbis illis, quae descripsi: *Nec vero hoc in te unum convenit — sed quum in reliquos vestros* etc. Sed hac ipsa in sententia magnam inesse repugnantiam interpretes fere omnes censuerunt; non enim in hominem, qui dicatur urbanitate limatus, illam reprehensionem cadere posse existimarunt; unde potius hanc loci sententiam esse voluerunt: *tu unus es, in quem hoc non convenit, quippe qui urbanitate limatus sis.* Huic igitur sententiae ut accommodarentur verba scriptoris, Davisius haec ita corrigenda esse censuit: *Nec vero hoc in te una convenit* etc., quod, ut animadvertit Heindorfius, ne latinum quidem est. Walkerus *unum* mutari voluit in *omnino*, quae conje-

ctura non displicuit Heindorfio. Kindervater. *unum* plane delendum, aut certe hoc modo transponendum esse censuit: *Neque vero hoc in te convenit, unum moribus domesticis — — limatum*, i. e. prae ceteris limatum. Quum igitur appareat, hos viros, quos nominavi, existimasse, eam sententiam, quam voluerunt, ex his verbis erui non posse, nisi quid mutetur, mirum videatur necesse est, extitisse nonnullos, qui, quamquam eandem sententiam requirerent, tamen nulla verborum mutatione opus esse censerent; veluti Wyttenbachius, Orellius et Handius. Et ille quidem docuit, particulam *nec* hoc loco accipiendam esse pro *et non*, verborumque constructionem ita esse ordinandam: et vero hoc in te unum non convenit, i. e. hoc vitium in te uno Epicureorum non habet locum. Sed non magis hoc latine dici posse existimo, quam illud, quod voluerat Davisius, quum ii loci, ubi *nec* pro *et non* usurpatum esse videtur, alius plane sint generis. Probavit tamen hanc rationem Moserus. Orellius autem atque Handius quum jungi volunt verba: *unum limatum*, i. e. praecipue limatum, item reprehendendi sunt, ut Wyttenbachius. Prorsus enim hoc repugnat linguae rationi, ut, quae ipsa loci natura doceat sejungenda esse, et quae revera sejuncta sint, ea cogitatione conjungamus. Itaque, si quidem inest haec sententia in his verbis, quam illi voluerunt, puto etiam ita ea collocanda esse, quemadmodum ab illis interpretationis causa

collocata sunt; sin eum servamus verborum ordinem, quem libri manuscripti praebent, alia vis horum verborum esse non potest, nisi quam supra jam significavi: *hoc non solum in te convenit, sed etiam in reliquos Epicureos.* Neque dubito, quin hoc dicere voluerit Cicero. Tantum enim abest, ut, quod Wopkensius jam animadvertit, Tullius Vellejum de numero Epicureorum, quales se praebuerunt illa aetate, eximat, ut doceat etiam locis compluribus, eum germanissimum esse Epicureum, atque eodem nomine reprehendendum, quo reliquos. Intelligere hoc licet vel ex iis, quae proxime antecedunt: *Ita salem istum, quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolitote consumere*, quae fieri non potest quin ad Vellejum quoque referantur, eoque magis, quod is ipse, insulso illo modo, quem vituperat Balbus, Stoicos irriserat, providentiam eorum nominans anum fatidicam; et conferantur, quae in lib. I. c. 21. a Cotta Academico contra Vellejum disputantur, quum dicit: *Sed quod in illo* (Zenone Epicureo) *mihi usu saepe venit, idem modo quum te audirem, acciderat, ut moleste ferrem, tantum ingenium (bona venia me audies) in tam leves, ne dicam in tam ineptas sententias incidisse*, et c. 8. non sine acerba reprehensione ita inducitur Vellejus: *Tum Vellejus, fidenter sane, ut isti solent, nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur, tamquam modo ex deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset* etc., et

tota Cottae disputatio, quae altera primi libri parte continetur, plena est salis, quem in Vellejum profert (conf. c. 34. §. 94.). Itaque non potest dubitari, quin Cicero Vellejum eodem modo perstringere voluerit, quo reliquos Epicureos. Quid quod, si ea esset hujus loci ratio, ut Tullius negare videretur, idem cadere in Vellejum, quod in reliquos, hoc non aliter nisi ironice accipi posset; nisi forte quis non absurdum esse opinatur, dicere, id quod in ceteros cadat, non cadere in hunc, licet idem fecerit, quod ceteri. Hoc non reputasse videtur Heindorfius, quum ejecto vocabulo controverso legi voluit: *Nec vero hoc in te convenit* etc. At vero quominus statuamus, Ciceronem hoc dicere voluisse, impediri dicunt verbis: *limatum urbanitate;* non enim in hominem, qui ita sit affectus, cadere posse illam reprehensionem. Sed primum non video, cur, qui urbanitate dicatur limatus, i. e. morum quadam elegantia atque venustate politus, carere non possit sale aut lepore; si quidem fieri potuit, ut is, qui acuto esset ingenio (conf. lib. I. c. 21. §. 59.), in res leves et ineptas, vix dignas anicularum lucubratione incideret (conf. lib. I. c. 34. §. 94.). Deinde autem minus his verbis, quae reprehensionis vim tollere videntur, offendemur, si Tullium hoc dicere voluisse putamus: Nec vero hoc in te unum convenit, licet tu sis homo urbanitate limatus, quem jure poterat exspectari, evitaturum esse vitia reliquorum Epicureo-

rum, sed convenit hoc etiam in reliquos Epicureos, et maxime in Epicurum ipsum.

Reliquum est, ut de ratione grammatica pauca dicamus. Etenim quod in editionibus fere omnibus reperitur: *in te unum convenit — limatum*, ex emendatione viri docti fluxisse videtur: codices ad unum omnes exhibent ablativum: *in te uno convenit — limato*, quam scripturam Wopkensius et Handius defenderunt. Quamquam in his libris difficillimum est, de ejusmodi rebus judicare, quia nondum inventus est codex, qui aliqua praestantia insignis esset, tamen cautio quaedam hac in re adhibenda esse videtur, ne, quum librariorum errores removere conamur, scriptorem ipsum corrigamus. Est autem hoc non inusitatum in Latinis scriptoribus, ut ea, quae duplici modo strui possint, nonnunquam utramque adsciscant structuram; cujus rei aliquot exempla attulit Wopkensius in Lectt. Tull. p. 225 sq., veluti ex Tuscul. disputatt. lib. IV. c. 11. §. 25., ubi legimus: *odium mulierum — — et in hominum universum genus*, pro: *odium in mulieres*. Cfr. lib. de off. I. c. 28. *Adhibenda est quaedam reverentia adversus homines et optimi cujusque et reliquorum* — ubi exspectes: *adversus homines et optimum quemque*. Ita etiam verba duplici modo struuntur, ut in Tuscul. disputatt. lib. V. c. 39. §. 115. *At vero Polyphemum Homerus quum immanem ferumque finxisset, cum ariete etiam colloquentem facit*; *ejusque laudare*

fortunas — ubi Lambinus *laudantem* legi voluit. Jam vero loci illi, quibus Wopkensius et Handius comprobare voluerunt, *conveniendi* verbum duplici modo strui posse (Sueton. Octav. 25. Liv. lib. 44. c. 19. §. 3.), etsi non prorsus id efficiunt, quod efficiendum est, quum natura eorum paullo diversa sit a natura hujus loci, tamen consensus librorum manuscriptorum me movet, ut, nisi ostendatur, ablativum ferri prorsus non posse, eum intactum relinquendum esse censeam; praesertim quum aliis quoque in verbis hoc factum esse videamus, ut nonnunquam alio modo, atque vulgaris loquendi usus postulat, struerentur. Ita in lib. I. *de* nat. deor. c. 15. §. 38. *Quo quid absurdius, quam aut res sordidas atque deformes deorum honore afficere, aut homines jam morte deletos, reponere in deos* — verbum *reponendi* accusativum adscivit, quamquam alias ablativus tantum cum eo conjungi solet, vid. Gabbler. in Jahnii Annal. philol. et paedag. 1829. vol. II. fasc. 2. p. 411., qui apud Livium quoque constanter hoc verbum cum ablativo jungi docuit. Sunt tamen loci, ubi accusativus ei adjunctus reperiatur, ut Liv. 29, 19. *pecuniam in thesauros reponi.* ibd. 31, 13. *pecunia in thesauros reposita.* 41, 33. *tabulam in aedem Matutae ponere.* Vid. Ramshorn. Grammat. Lat. p. 470. Atque etiam in Ciceronis scriptis nonnulli reperiuntur loci, in quibus codices huic struendi generi suffragentur, ut in lib. I. de invent. c. 27. §. 39., ubi

vid. Orellii annot., et in lib. III. de nat. deor. c. 19. §. 47., ubi non pauci codices: *in deorum numerum reponemus*, exhibent, cui tamen lectioni editores praetulerunt alteram: *in — numero reponemus*. Ita *effundendi* verbum, quod idem accusativum adsciscere solet, cum ablativo conjunctus reperitur in lib. I. de nat. deor. c. 16. §. 42. Paradox. III, 1, 6. (al. §. 21. ex.).

Academ. II. c. 5. §. 9. *Nam, quod dicunt omnino se credere ei, quem judicent fuisse sapientem; probarem, si id ipsum rudes et indocti judicare potuissent: (statuere enim, qui sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis:) sed ut potuerint, potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis; judicaverunt autem re semel audita atque ad unius auctoritatem se contulerunt.* (Orell. de Lambini conjectura.)

Etsi non mediocrem operam in restituenda hujus loci integritate a viris criticis positam esse videmus, quorum alii aliter loco male affecto mederi studuerunt, nulla tamen de iis quidem conjecturis, quae mihi innotuerunt, ita comparata est, ut facile in ea acquiescamus. Ac ne Lambini quidem emendatione, quam fidenter commendavit Madvigius, quamque Orellius recepit, res confecta esse videtur. Neque vero ipsam codicum scripturam, in qua vitium inesse apertum est, quomodo quis defendere possit, video. Quod quum a Madvigio in Emendatt. Tull. P. I. pag. 123 sqq. satis su-

perque demonstratum esset, quumque idem sensissent Lambinus, Goerenzius, Orellius alii, miror extitisse Badenium, qui obtrectandi studio adeo indulserit, ut, reperto jam eo, quod proxime ad veri similitudinem accederet, mallet absurda amplecti, quam ea comprobare, quae adversarius docuerat. Quum enim verba illa in libris manuscriptis ita legerentur: *sed ut potuerint* (nonnulli libri *potuerunt* exhibent) *omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, judicaverunt; aut re semel audita ad unius auctoritatem se contulerunt* — quumque haec ita scripta non immerito virorum eruditorum dubitationes movissent, T. Baden. in Seebodii et Jahnii Annal. philol. et paedag. 1831. supplem. vol. I. fasc. 1. p. 160. ejusmodi protulit rationem, quae magis etiam, quam ipsa codicum scriptura, judicium exerceat. Voluit enim ita haec verba distingui: *sed ut* (i. e. quomodo) *potuerunt? omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, judicaverunt? aut re semel audita ad unius auctoritatem se contulerunt?* — atque ne quis haereat in interrogationibus, quae sine interrogandi particulis sint propositae, docet, ab oratoribus atque poetis eas frequenter omitti, cl. Quinctil. Institt. orat. VIII, 5. et IX, 2. Quam rem ut omittam, id quod inprimis erat videndum, quae ratio esset verborum ita distinctorum, aut quid ea significarent, fateor, me frustra quaesisse. Neque tamen probabiliora sunt ea, quae idem Baden. in Seebodii et

Jahnii Annal. philol. et paedagog. 1833. Supplement. vol. II. fasc. 3. p. 333. protulit, dicens, verba: *ut potuerunt* ita esse accipienda, ut significetur: *sie urtheilten so gut sie konnten.* Reliqua ita legi vult, uti vulgo in libris reperiuntur. Sed nihil cogitari potest, quod magis cum tota loci sententia pugnet, quam haec interpretatio; in quam eadem conveniunt, quae disputata sunt a Madvigio contra Goerenzium. Hoc enim ipsum, ut, priusquam quis ad certam aliquam disciplinam se conferat, eam antea exploret, atque reliquorum etiam sententias cognoscat, negat Tullius ab illis fieri, qui potius, ad quamcunque disciplinam casu quasi sint delati, ad eam adhaerescant. Recte autem animadvertit Madvigius, verba *sed ut,* et quae sequuntur: *omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis,* satis ostendere, quae loci sententia esse debeat. Docet enim Tullius, etiamsi concedatur, posse non sapientem, qui sit sapiens, judicare, id tamen tum demum fieri posse, si quis omnes res, quae ad disciplinam aliquam pertineant, audierit, atque reliquorum etiam, qui non sint ejusdem disciplinae, decreta cognoverit. Huic igitur sententiae ut aptarentur verba Tulliana, Lambinus eam, quam supra descripsimus, proposuit conjecturam. Quae quamquam per se non est inepta, duo tamen habet, quae, quominus in ea acquiescendum esse putem, valde impediunt. Primum enim quamvis parva visa sint Madvigio, quae Lambi-

nus hoc loco mutari voluit, tres tamen mutationes tam paucis in verbis factas aegre fero; nam post verbum *potuerint* de conjectura adjecit *potuerunt*, deinde particulam *aut* (post v. *judicaverunt*) mutavit in *autem*, denique addidit particulam *atque*, cujus in codicibus nullum reperitur vestigium. Sed ut lenes sint hae mutationes, tamen haud scio an sententia ipsa alio modo a Tullio verbis consignanda fuerit. Perspicuum est enim, verbum *potuerunt* non modo non necessarium, sed etiam molestum esse, quum vis ejus in ipsa sententiarum ratione lateat; quod facile intelligetur, si germanice locum explicavero: *Aber gesetzt, sie hätten es gekonnt, wenn sie nämlich vorher alle Sachen gehört und auch die Meinungen der übrigen kennen gelernt hätten, so* — quae sententiarum conformatio satis declarat, ad superiora: *ut potuerint*, requiri vocabulum, quod contrariam vim contineat, veluti: *ut potuerint — tamen non faciunt* (gesetzt, sie hätten es gekonnt, wenn sie nämlich — —, so thun sie diess doch nicht). Quae quum perpenderem, venit in mentem, totum locum, addita particula *ante* post v. *judicaverunt*, ita esse legendum: *sed ut potuerint, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis: judicaverunt ante, aut re semel audita ad unius sententiam se contulerunt.* — Particula *ante* propter voc. *aut*, quod sequitur, facillime oblitterari potuit, quam si addimus, ea efficitur sententia, quam totius loci ratio postulat.

Conferri potest similis quidam locus, qui est in lib. I. de nat. deor. c. 24. §. 66. *Hanc tu opinionem usque ad hanc aetatem perduxisti, priusque te quis de omni vitae statu, quam de ista auctoritate dejecerit; ante enim judicasti, Epicureum te esse oportere, quam ista cognovisti.*

Cic. de republ. II. c. 39. §. 66. *Quod autem exemplo nostrae civitatis usus sum, non ad definiendum optimum statum valuit; nam id fieri potuit sine exemplo; sed ut civitate maxima reapse cerneretur, quale esset id, quod ratio oratioque describeret.*

Hic locus argumento esse potest, quantopere viri critici etiam in rebus planissimis nonnunquam haereant, adeoque de iis dubitationes moveant, quorum ratio eum, qui loquendi usum aliquo modo cognitum habet, fugere non debebat. Quum enim in codice Vaticano ante ablativum *civitate* praepositio *a* reperta esset a secunda manu adscripta, id A. Maium, ut consentaneum erat, commovere non potuit, ut eam reciperet, quum neque sententia ipsa, neque leges grammaticae praepositionem requirerent; quumque apertum esset, in codice illo non raro a secunda manu quaedam esse adscripta, quae quin a correctore profecta sint, dubitari non potest. Fuerunt tamen, qui hanc praepositionem reciperent; quod, si quidem recte eam explicuissent, minus reprehendendum esset. Nam si praepositio *à* hic es-

set tuenda, eam ita, uti nonnunquam accipienda est, explicarem, ut significetur id, quod nos dicimus: *von Seiten* vel *in Ansehung des grössten Staates.* Sed Lehnerus, qui hanc praepositionem addidit, quum dicit *a civitate* idem esse, quod *in civitate*, manifesto est in errore. Neque is, a quo idcirco reprehensus est, Moserus, probabiliora attulit, quum legi voluit: *in civitate*, quam in conjecturam quomodo incidere potuerit, eo magis miror, quum ipse attulerit locum simillimum ex Cic. Topic. c. 21. §. 80. *Causa certis personis, locis, temporibus — cernitur* — quo tamen loco adduci non potuit, ut supprimeret istam conjecturam, credo, quod hic quoque praepositionem *in* subaudiendam esse putaret; de qua re quominus cogitemus, valde est cavendum. Est enim is usus ablativi, ut, si notae aut indicii significationem contineat, praepositiones omittantur; quae si adduntur, sententia quidem fere eadem existit, sed rem paullo aliter cogitatam esse intelligitur. Itaque hunc locum ita verterim: *damit man an dem grössten Staate sehen könne* etc. Cujus rei etsi multa exstant exempla, quae similitudinem quandam habeant, nonnullaque congesta sunt a Wurmio in Commentar. ad Dinarch. p. 43 sqq., non tamen ad unum genus referri possunt omnia. Nam in aliis ablativum notae esse dixeris, in aliis ablativum instrumenti, in aliis finitima est haec struendi ratio ablativis consequentiae; unde fit, ut modo *in* modo *ex* sub-

audiri possit, si quidem nostrae linguae ratio praepositionem in ejusmodi locutionibus requirit. Cfr. Cic. de finib. lib. III. c. 19. §. 62. *Quod primum intelligi debet figura membrisque corporum, quae ipsa declarant, procreandi a natura habitam esse rationem* — ubi Lambinus praepositionem *ex* addendam esse censuit. Lib. de divinat. II. c. 6. §. 16. *quid existimandum est de conjectura eorum, qui extis aut avibus aut ostentis aut oraculis aut somniis futura praesentiunt?* Lib. de legg. II. c. 8. §. 20. *augures signis et auspiciis postera vidento.* Tuscul. disputatt. lib. I. c. 12. §. 27. *idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio jure et caerimoniis sepulcrorum intelligi licet.* Epist. ad Fam. lib. I. epist. 5. med. *ea te literis multorum et nuntiis cognoscere arbitror.* lib. I. epist. 9. in. *perjucundae mihi fuerunt literae tuae, quibus intellexi* etc. lib. VII. ep. 19. med. *cogitare debebis, nullam artem literis — percipi posse.* Ep. ad Att. lib. IV. ep. 1. §. 4. *cognovi — — literis Quinti fratris.* Tuscul. disputatt. lib. I. c. 1. §. 1. *hoc mihi Latinis literis illustrandum putavi, non quia philosophia graecis et literis et doctoribus percipi non posset: sed* etc., in quibus nescio an praestet agnoscere ablativum instrumenti, nec vero, quod Kuehnerus in annot. ad Tuscul. disputatt. lib. III. c. 16. §. 34. voluit, ablativos absolutos. Sunt tamen loci, qui proxime ad horum similitudinem accedant, veluti lib. de nat. deor. II. c. 35.

§. 90. *post autem signis certioribus, quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari.* Liv. lib. X. c. 34. *ad consulem referunt, excessum urbe; solitudine haud dubia id perspicuum esse, recentibus vestigiis fugae, ac strage rerum in trepidatione nocturna.*

Cic. de finib. II. c. 26. §. 82. *Illa videamus, quae a te de amicitia dicta sunt. E quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere: amicitiam a voluptate non posse divelli, ob eamque rem colendam esse, quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset, nec jucunde quidem posset.*

Quum ea sit hujus loci ratio, ut, nisi intellexerimus, quam vim habeant in conclusionibus particulae illae: *ne — quidem*, fieri aliter non possit, quin in sententia ipsa haereamus: non alienum duxi, de hac re nonnulla disputare, praesertim quum aliis quoque in locis eam offensioni nonnunquam fuisse videam. Quum enim docent, Latinorum particulis *ne — quidem* id significari, quod nos dicimus: *nicht einmal,* hoc quidem plurimos in locos convenire confitendum est; verum ut multi sunt, a quibus haec significatio abhorreat, ita hujus loci sententiam, si vulgari ista particularum interpretatione utamur, prorsus perverti apertum est. Etenim ea est vis particularum *nicht einmal,* ut semper gradationem quandam a majoribus ad minora significent. Jam si hujus loci naturam consideramus, appa-

ret, plus esse jucunde vivere, quam tuto et sine metu vivere, quum, etiamsi quis tuto et sine metu vivat, fieri tamen possit, ut jucunde non vivat; contra nemo possit jucunde vivere, nisi tuto et sine metu vivat. Unde intelligi potest, si vulgari modo illas particulas interpretamur, verborum ordo hoc modo convertatur necesse esse: *amicitiam colendam esse* (dicit Epicurus), *quod sine ea jucunde vivi non posset, nec tuto quidem et sine metu vivi posset.* Unus Matthiaeus hoc sensisse videtur, si vulgarem istam interpretationem particularum *ne — quidem* tueremur, absurdam prodire sententiam; unde vir doctus ille haec verba ita emendari voluit: *et si sine metu non posset, nec jucunde posset*, ita ut particula *nec* idem valeat, quod *etiam non*. Quod quamquam sententiae ipsi prorsus convenit, tamen verborum correctione idcirco non opus esse infra docebo. Reliqui interpretes ne senserunt quidem, quantopere vis particularum: *und nicht einmal*, abhorreat ab hujus loci ratione. Nam Goerenzius delenda quidem censuit verba: *nec jucunde quidem posset*, sed nullam aliam ob causam, quam quod ea nonnullis in libris, qui tamen deterioris sunt notae, omissa esse vidisset. Hunc secutus est novissimus librorum de finibus editor, Otto, qui, cur hanc rem in annotatione ne verbo quidem commemoraverit, non possum non mirari. Orellius tutatus ille quidem est, quae isti deleverunt, sed quum voluit vulgarem istam vim in particulis

ne — quidem inesse, aliquid statuit, quod naturae loci prorsus repugnat. Jam si retinenda sunt haec verba, quod non dubito, quin fieri debeat, et si ita sunt retinenda, quemadmodum in libris scripta reperiuntur, una tantum est ratio, qua caveri possit, ne absurda efficiatur sententia; quae ratio in eo cernitur, ut particulis *ne — quidem* tribuamus eam vim, quam habent particulae *etiam non*, quibus tamen ita sibi junctis Latini nunquam usi sunt. Illis autem particulis hanc vim, quam significavi, in conclusionibus potissimum subesse, multis comprobari potest locis. Cfr. Cic. de finib. lib. I. c. 15. §. 49. *Eadem fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio, neque perpessio laborum, per se ipsa allicit: nec patientia, nec assiduitas, nec vigiliae, nec ea ipsa quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem: sed ista sequimur, ut* etc., ubi, quum antea partes fortitudinis allicere nos non posse scriptor demonstrasset, prorsus absurda prodiret sententia, si quis putaret, sententiam ita concludi posse: *nicht einmal die fortitudo zieht an;* quum potius ea loci sententia esse debeat: *also auch nicht die fortitudo*, i. e. si partes nos allicere non possunt, etiam totum allicere nos non potest. Sed quum novissimus horum librorum interpres, Otto, verba illa: *ne fortitudo quidem*, quae censori Heidelbergensi suspecta fuerant, ita defendit, ut diceret, cum asseveratione haec addi, hac quidem interpretatione haud ita multum lu-